NAZIONALE
8 H
42 A
4
VITT. EMANUELE
ROMA

Digitized by Google

8.12.B.

MVSAE ANCONITANÆ

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FLAVIO

S.R.E. CARD. CHISIO

ALEXANDRI VII.

PONT. MAX.

EX FRATRE NEPOTI

DICATAE.

9

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Domus probationis Romanæ Piarum

Bibliothecæ Domus Probationis Romanæ Scholarum Piarum.

8. 42. A. 4

MVSÆ ANCONITANÆ

SIVE

EPIGRAMMATON

LIBRI IV.

I. SACRORVM,
II. MORALIVM,
III. HEROICORVM,
IV. IVCVNDORVM, VARIORVMQ

Quibus plurima ANAGRAMMATA inſerta ſunt
Variaque AENIGMATA cum Notis.

Authore

CAROLO à S. ANTONIO Patauino
Anconitano,

Religionis Pauperum Matris Dei,
Scholarum Piarum.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMA.

Romæ, Typis Reu. Cam. Apoſt. 1674.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FLAVIO
CARD. CHISIO

S. R. E. BIBLIOTHECARIO
Apoſtolico.

CAROLVS A S. ANTONIO PATAVINO, ANCONITANVS, Religionis Paup. MATRIS DEI, Scholarum Piarum,

P. F. P.

M*Axima beneficia*, EMINENTISSIME PRINCEPS, *quæ in me* Sanctiſſimus Patruus *tuus*, ALEXANDER VII. Pont. Max. *atque in vniuerſam noſtram* Religioſam Familiam *benigniſſimè contulit, quæque abs te erga me, Marcellumque Mazæum fratrem meum profecta fuere, ad aliquam grati animi ſignificationem præbendam identidem me compellunt. Quamobrem eidem ampliſſimo Nomini tuo, cui tribus, & viginti*

ginti ab hinc annis Opus de Arte Epigrammatica, *& nuper* Anagrammaton *Libellum inſcripſi, nunc quatuor hoſce* Libellos Epigrammaton *dedicaui. Quorum primus verſatur totus in rebus Sacris, in ÿſque laudandis, quorum potiſſimùm laudes probauit idem pietatis amantiſſimus* Patruus *tuus, cum eſſet* Sedis Apoſtolicæ Nuncius *apud Vbios, per epiſtolam, quæ tertia eſt ex ÿs, quas trium poſtremorum annorum ſpatio moræ ſuæ inter exteras nationes, ad me, epigrammata multa iam tum parantem, perhumaniter ſcripſit, his ipſis verbis, non longè à principio.* Ibi verò, vt omne feras punctum, & miſceas vtile dulci, non aliam præſtantiorem ſcribendi materiam ſuggerere tibi poterit vnquam Muſa, quàm eam, de qua ſapidiſſima ad prægustandum mihi dediſti epigrammata, Heroum nempe Cœlo receptorum laudationes, ad illorum obſequium, ad noſtrum imitamentum, omnia ad Dei gloriam, ita vt excellentiùs nequeas, aut prodeſſe, aut delectare. *Alter vero Libellus Moralia continet; in primiſque de huius vitæ miſerÿs, ac de morte agit; nimirum totus ferme per ea tempora compoſitus, quibus hic, Romæ, ſerpebat peſtilentia:*

quid

quid enim aliud tunc poterat cogitari, quid aliud ſcribi, quando,

Luctus vbique, pauor, & plurima mortis imago

ſpectabatur? Quæ tamen lues admirabili ipſius ſummi Paſtoris ALEXANDRI VII. *vigilantia breui tempore deſtitit; & ex noſtris* Patribus *in S. Pantaleonis Aedibus habitantibus, in media quamuis Vrbe conſtitutis, neminem attigit; quod illi triumphanti Martyri, Nicomediæ nobili quondam medico, acceptum in primis referimus.* In *Tertio poſt honorificam quinque* Maximorum Pontificum *mentionem, aliquot* ampliſſimi S. R. E. Cardinales *dilaudantur, Virorumque aliorum non paucorum (quos inter aliquæ illuſtres Fœminæ) vel dignitate, vel nobilitate, vel doctrina, vel facultate aliqua conſpicuorum, laudes recenſentur, de quibuſdam alijs nobiliſſimis rebus,* Epigrammatis *interpoſitis. Quartus denique res iucundas, lepidas, feſtiuas, varijque generis exhibet; quarum aliquæ* Ænigmatibus *inuoluta ſunt: quæ* Ænigmata *nuperrimè ſunt à me maxima facilitate compoſita, &, quod magis mirum videbitur, capite iam caneſcente. Inſerantur præterea in his Libellis* Anagrammata,

 plu-

plurima, carminibus exornata quidem, non tamen illuſtrata, per ſe enim clariſſima ſunt; taliaque ſemper contexui; namque obſcura nunquam probaui: quæ enim indigent explicatione, puerilia iudico, &, quæ in publicam lucem prodeant, prorſus indigna. Quos ego Libellos tibi gratiſſimos fore confido, cum & ſuperiores gratiſſimi fuerint. Quibus profectò, quoniam ipſi tibi dicantur, felicitatem plurimam, plurimumque ſplendorem augurari mihi poſſe, videor. Ipſi quidem (cur enim dubitem affirmare?) haud humili loco iacebunt, in tenebriſque deliteſcent, vt miſera plurimorum librorum conditio eſt; ſed opportuna

Quernarum Arborum

tuarum vmbra

ab æſtuantium Zoilorum ardoribus

defenſi,

tuis

Montibus

eminebunt,

tuiſque

Sideribus

illuſtrabuntur.

Valeas diutiſſimè.

AV-

AVCTOR
LECTORI.

LIBELLOS hos quatuor *Epigrammaton*, benigne Lector, paſſus ſum tandem in publicam lucem prodire, & quia EMINENTISSIMO PRINCIPI FLAVIO CHISIO S. R. E. CARD. de me optimè merito, iam diù debebantur; & quia cum plurimis amicis, cùm Romæ, tùm alibi habitantibus, maximè deſiderauit, popoſcit, efflagitauit Marcellus Mazæus, frater meus, vt ex litteris ſequentibus, eius rogatu typis editis, cognoſces; ad quod etiam adhortatus eſt nuperrimè, Orator, & Vates clariſſimus Stanislaus à Ieſu Maria (noſtrorum Patrum, meo quidem iudicio, lyricis compoſitionibus præſtantiſſimus) vſque ex Polonia Ode elegantiſſima ad me miſſa, quam poſt fratris epiſtolam libenter appoſui, vt, & ipſius oblecteris lectione, quoniam in ea Horatij Flacci Lyricorum Vatum apud Latinos Principis ſpiritus mirificè dignoſcitur, & me faciliùs excuſes, ſi demùm, tot anteà rogantibus, poſt tam validam adhortationem deuenerim ad editionem horum Epigrammaton; quorum aliqua, vt mihi

planè

planè nondùm ſatisfaciunt, tibi fortaſſe non prorsùs arridebunt; Sed cum id acciderit, tibi perſuadere tunc poteris, quacunque cenſura tua meam fuiſſe priorem, iudicio enim peracuto ſum, maculaſque vel exiguas inſpicere ſoleo, ſed eas omninò delere nequeo: quandoquidem cuncti facilè deprehendunt errores, ipſos tamen prorsùs corrigere, & amouere non poſſunt. Communis igitur, Lector, imbecillitatis humanæ memor, mihi humanus ignoſcas, tibique me per cunctationem multorum annorum placere cupijſſe, ſtuduiſſe, conatumque eſſe, gratiſſimum ſit. Huius enim tam longæ moræ cauſa licèt non vna fuerit, vt infrà patebit, ea tamen potiſſima fuit, correctio ſæpiſſimè adhibita, vt nimirum compoſitiones non modò eſſent argutæ (quod quidem præcipuè curandum eſt in Epigrammate) verùm etiam, vt per elegantem, puram, dilucidamque locutionem, decoram faciem, candidamque præſeferrent, non obſcuram, non tetricam, non ſuperbam; namque vt in moribus ſynceritatem probo, faſtumque deſpicio, ita quoque germanus Sermo antiquis Scriptoribus familiaris mihi ſemper placuit; ideoque in antiquorum Auctorum lectione, in quibus potiſſimùm latinitatis candor elucet, diù, multùmque verſatus ſum, & quicquid inſigniores eorum interpretes ad latinum Sermonem pertinens annotauerunt, legi diligenter, at-

que

que etiam exſcripſi: Quod quidem mihi plurimùm profuiſſe cognoſco; quod etiam vt proſit alijs, huiuſce mei laboris Volumen aliquod, ſi per vitam, vt ſpero, licuerit, typis libentiſſimè committam. Hanc autem puritatem, venuſtatemque loquendi, quam non pauci recentiores inſipienter faſtidiunt, dicendi genus nebuloſum, caliginoſum, tumidum, elatumque ſectantes (quod multos afficit admiratione, mihi interdum riſum, interdum ſtomachum prorsùs mouet) hanc, inquam, puritatem, venuſtatemque loquendi in ſcriptis meis ſemper eſſe, aſſerere non audeo; claritatem quidem, vel in argumentis explicatu perdifficilibus, me ſemper aſſecutum eſſe, affirmare non vereor. Itaque in libris meis pulchram illam, egregiamque dicendi rationem interdum fortaſſe requirent optimæ latinitatis amatores, perſpicuitatem certè nunquam deſiderabunt. Quamobrem hi Libelli meritò à me MVSÆ ANCONITANÆ inſcribuntur, non tàm ſcilicet ratione patriæ meæ, matris optimorum Poetarum, quàm, quòd in Anconitanis, nobilibus præſertim ciuibus, vt morum, ita quoque ſermonis candor, ſynceritas, ingenuitas maximè ſpectatur. In cauſa etiam tantæ cunctationis fuerunt perpetuæ occupationes in erudienda iuuentute, quibus factum eſt, vt meis priuatis ſtudijs parum ſemper temporis ſuperfuerit; varijque euentus, qui me ſubinde

inde

inde ad noua componenda excitauerunt, huiuſ-ſce moræ cauſam ſuſtinuerunt. Plura quidem addenda eſſent hoc loco, ſed parcam, vt huius epiſtolæ breuitati conſulam; teque de Epigrammatis, ſequenti Epigrammate congruentiùs affabor. Vale.

Qualia ſint noſtris Epigrammata clauſa Libellis,
Ipſa legas & quo vis tempore noſcere, Lector,
Quæque tibi vtilitas ſit manatura legenti?
Expediam paucis: ſunt primo SACRA *Libello,*
Plurima at alter habet MORALIA: *tertius effert*
HEROAS *ſimul alta aperit,* IVCVNDAQVE *promit*
Vltimus, & VARIO *eductum dat lemmate carmen.*
Primus mane liber voluendus, mane ſecundus,
Poſterius tempus ſibi tertius exigat; atque
Deguſtandus erit poſt Cœnæ obſonia quartus.
Cur? ni forte fames fuerit ſedata, furentem
Queis ſtomachum places hic fercula grata parata
Inuenies, tibi nec ſaturo bellaria deerunt.
Eſſe Dei cultor, Mariæ, Superùmque, Libello
Ex primo diſces; animum virtutibus alter
Imbuet: Heroum ſublimia tertius acta,
Quæ ſudans imitere, canit, ſophiamque miniſtrat,
Poſtremuſque feret tibi gaudia multa Libellus;
Nam licet interdum lepidos admittere luſus,
Quos tamẽ vna parit ſemperque exornat honeſtas.

MAR-

MARCELLVS MAZÆVS

Cathedralis Eccleſiæ Anconitanæ Canonicus

CAROLO A S. ANTONIO PATAVINO
ex Patribus Scholarum Piarum,

Fratri dilectiſſimo

S. P. D.

QVOVSQVE *tandem,* CAROLE, *frater chariſſime, libros tuos, quos ego, amicique tui, in publica luce aſpicere tamdiù cupimus, latebris,tenebriſque occultabis? quamdiù me, amicoſque tuos eorum expectatione cruciabis? iam complures elapſi ſunt anni, quibus* Epigrammaton *editionem pollicitus fuiſti, nondùm tamen fidem præſtitiſti. Fortaſſe moraris, memor verborum Horatij,*

. . . carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit? . .

illorumq; eiuſdem . . nonumq; prematur in annū? *at eos libros perſæpe exſcribendo, innumeris pene lituris impleuiſti, nouemque annorum numerum ſuperaſti. An moraris, quòd eorum probes ſententiam, qui aiunt, ea, quæ iuuentute ſcribuntur, ſenectute promenda? at iam canities te ſenem factum oſtendit. Forſitan cunctaris, timidus cenſura Zoilorum? ſed eos euitare quis poſſit, cum in optimum quemque, præſtantique doctrina præditum, mordaci lingua temere, petulanterque deſæuiant? qui licèt tibi quoque latrare non pepercerint, irritus tamen*

Digitized by Google

men erit, mihi crede, ipſorum latratus, cum tui fœtus ingenij laudati fuerint olim ab ALEXANDRO VII. PONT. MAX. Iano Nicio Erythræo, Bartholomæo Tortoletto, Petro de Valle, Bartoldo Nihuſio, *aliſque clariſſimis Sapientia Viris, quos propria egregia monumenta immortalitate donarunt; & nunc laudentur à Sapientiſſimis Epiſcopis*, Ioanne Caramuele, & Ferdinando Furſtenbergio, *aliſque non paucis, quos inter eſt* Ignatius Bomplanus Soc. Ieſu, *acutiſſimi vir iudicij, qui te non ſemel, vt ad me perlatum eſt, ad libros edendos hortatus fuit; vt etiam ex Patribus tuæ Religionis, duo in primis, præceptores videlicet olim tui,* Petrus ab Annunciatione, Brixienſis, & Camillus à S. Hieronymo, *Vrbinas, quorum votis te demum ſatisfacere par eſt, cum à primo ſtudiorum tuorum initia ſumpſeris, ab altero incrementa. Itaque nulla tibi amplius longioris tarditatis ratio eſt, niſi velis nimis rigidus videri, ingratique animi ſuſpicionem iniicere* EMINENTISSIMO PRINCIPI FLAVIO CHISIO S. R. E. CARD. *de te in primis optimè merito, cui horum librorum editionem ſæpe promiſiſti. Eos igitur, ſi me amas, proferas tandem in lucem, neque diutiùs patiaris, ſtudioſæ Iuuentutis vtilitatem differri, ac Patrum tuorum, qui te aſſiduè rogant, honorem, amicorumque idem flagitantium, lætitiam, decoremque noſtræ Patriæ, quæ, vt* ethnico Martiale *Bilbilis*, Martiale Chriſtiano, *ſpero, gloriabitur*: nouus *enim mihi appares* Martialis, Argutis Epigrammaton libellis. *Qualis quidem eſſe tuo etiam nomine cum ſolitis*

voci-

vocibus expoſito, videris, vt Anagrammate ſequenti videbitur: quod ego, vt vna cum his litteris, Libris tuis præponas, te etiam, atque etiam rogo: quòd cum fraternæ petitioni, ob amorem fraternum, te facilè conceſſurum, confidam, pluribus non contendam. Vale, &c.

REVERENDVS PATER CAROLVS
A SANCTO ANTONIO PATAVINO,
SACERDOS EX PATRIBVS
SCHOLARVM PIARVM.

Anagramma purum.

O ANCONÆ DECOR!
OB OPVS
CLARA ARTE EXORNATVM
APPARET
NOVVS MARTIALIS,
SED PVRVS, CHRISTIANVS.

Digitized by Google

IOSEPH A VISITATIONE
Clericorum Regularium, Pauperum Matris Scholarum Piarum Præpoſitus Generalis.

CVm Muſæ Anconitanæ, *ſiue* Epigrammaton Libri IV. P. Caroli à S. Antonio Patauino *noſtræ Religionis Sacerdotis, iuſſu noſtro reuiſi, fuerint approbati, facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita Illuſtriſſimo D. Viceſgerenti, ac Reuerendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici videbitur. Datum Romæ,* 20. *Martij* 1673.

Ioſeph à Viſitatione Præpoſitus Generalis.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apóſtolici.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capiſucchus Ord. Præd. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.

AD

AD PIVM SCHOLARVM PIARVM MARTIALEM P.CAROLVM Anconitanum, à S.ANTONIO PATAVINO, ad luci tradenda Epigrammata

ADHORTATIO

P. STANISLAI Poloni, à IESV MARIA, eiuſdem Inſtituti.

DIlecte Muſis, Carole, Carole,
Dilecte Phœbo, quid premis aureum
Sub nocte lumen, quo ſerenus
Orbe ſuper potes eſſe, toto
Superque Cœlo? prome reconditam
Illuminatæ mentis imaginem,
Quam non Apelles, ſed ſecundis
Ipſe ſuis digitis Apollo
Expreſſit in te; quam labor improbus
Illuſtriorem reddidit, & cauens
Næui licèt minurioris
Ingenij nitidi venuſtas.
Non ſic minorum condere ſiderum
Monarcha Titan aurea lumina
Nouit, ſed vltrò conglobatas
Per nebulas radijs coruſcis
Se pellit extrà, nubibus horridis
Hinc, inde pulſis, aruaque, luſtraque,
Monteſque colluſtrans opacos
Auricomam faciem videndam
Impertit Orbi; plurima viuido
Calore rerum ſemina ſuſcitat,
Cunctiſque creſcendi potentem
Vim tribuens cumulat ſupremo
Maturitatis munere: quin ea,
Quæ cœterorum lumina mutua

B Vo-

Vocantur aſtrorum, perenni
Fonte fluunt oriunda Solis.
Sic liberalis non ſua denegat
Deſideranti lumina Cynthius;
Tu verò quamuis luce plenus
Ingenij melioris, vmbram,
Seu ſcriniorum, Cimmeriam ferè,
Seu angulorum noctis olentium,
Nondùm penetraſti, latendi
In tenebris ſtudioſus author.
Prodi; quid hæres? profer in aëra
Claro micantem lumine carminum,
Gnomiſque ſplendentem probatis,
Et grauem acuminibus, Camœnam.
Iniurioſus creditur omnibus,
Et fraudulentus viuere ſæculis,
Quicumque multis profuturam
In latebris malè condit artem.
Hic, & ſacratam ſub modio impius
Tenet lucernam, velaque lucidis
Inducit aſtris, Principemque
Carceribus Phaëthonta ſtringit.
Abſiſte tanto crimine, Carole,
Peccare contrà ſæcula tempori
Repente ſucceſſura noſtro:
Prome tuos aliquando fœtus.
Præclara doctæ munera Palladis,
Grauis, diſerti munera pectoris,
Mentiſque iubar eruditæ,
Nomine perpetuo beandæ.
Si iure Marco Bilbilis inclytam
Se iactat, ecquid non pariter ſuo
Ancona Vate glorietur?
Qui patriæ negat acta, claræ

Pa-

Parùm videtur gratus origini;
Quòd ſi dicatus VIRGINI, vt immemor
Viuis paternæ Ciuitatis,
VIRGINEÆ memor eſto famæ.
Cuius Clientum de numero Pius
Cenſere Vates; illa tui expetit
Laudemque barbiti, decuſque
Pectinis, ingenijque lumen.
Prodi; quid hæres? iam tibi cernuus
Parnaſſus adſtat; Phœbus, & omnium
Vatum caterua candidorum
Certa nouum ſibi MARTIALEM
Adeſſe plaudit; plaudit & inuicem
Suſpirat; ac ſi terra graues moras
Nectentis expectans ſub ortum
Lumina tardè oritura Solis.
Prodi; quid hæres? nil rigidi tibi
Catonis, vni, ſit licèt omnibus,
Pauenda cenſura eſt: probatum
Qui ſequitur, benè pergit, agmen.

AVCTOR
AD EMPTOREM.

Qvattuor emiſti noſtros quicunque Libellos,
De facili vena carmina fuſa leges.
Non hæc ad Perſj tetrici limata lucernam,
Sunt exporrecto nec trutinata labro.
Roſi ego non viuos vngues, pluteumque cecidi,
Nec carpſi calamos, perfricuique caput.
Carmina clara mihi Vates ſuggeſſit Iberus,
Quem nitidi eloquij candor ad aſtra vehit.

Digitized by Google

Eminentiſſimo Principi
FLAVIO CHISIO
S. R. E. CARD.

FLAVI, purpurei decus immortale Senatus,
Septimi ALEXANDRI gloria, digne Nepos,
Iam, nimis obſcura concluſi ſede Libelli,
Longiùs in tenebris delituiſſe negant.
Ergo fores tandem reſero; do cernere lucem,
Ne videar multis barbarus eſſe pater.
Iamque ipſis atrox equidem ſum viſus, & atrox
Dictus ego querulo non ſemel ore fui
Has mihi nam triſtes fuderunt ſæpe querelas:
Dire pater, nobis cur data vita fuit?
Cur data vita fuit, ſemper ſi carcere clauſis,
Haud aliquo fas eſt tempore, luce frui?
Non ea, quam cuperes, nobis eſt forma; fatemur:
Pluribus eſt maculis forma venuſta minùs.
Morte ſed excepta quid non curabile? PRINCEPS,
Quem tantùm cupimus cernere, dexter erit.
Dexter erit; nobis fulgebunt MONTIBVS ASTRA:
Dexter erit; maculas QVERCVS opaca teget.

MV-

MVSÆ ANCONITANÆ,

SIVE

CAROLI A S. ANTONIO PATAVINO, ANCONITANI, EX PATRIBVS SCHOLARVM PIARVM.

EPIGRAMMATON

LIBER PRIMVS. SACRORVM.

CHRISTVS Crucifixus Amantis LIBER,

Amantem ſic alloquitur.

ME lege, quiſquis amas; placet hęc mea lectio amãti:
    Lectio Amore placet; me lege quiſquis amas.
Lectio tota, ſtatim verbo hæc abſoluitur vno;
    Hac breuior fieri lectio nulla poteſt.
Sum Liber, ipſe; meo ſcripturam corpore cernes:
    Ergo pia in corpus lumina verte meum.

Verbum, Amor eſt: flagra; ſpinæ, claui, lancea Amorem
Expreſsere: meus ſanguine ſcriptus Amor.
Sum Liber, ipſe, licèt verbo vno includar Amoris:
Hoc vno conſtant ò quot Amore libri!
Legiſti? haud ſatis eſt; ferat optima lectio fructum:
Qui tibi lectus Amor, ſit tibi fructus Amor.

Hoc Epigramma primo loco poſitum, quia ipſius initium cum libri initio in primis congruit.

De nudo IESV in ſtabulo
Lacrymante, & geſtiente.

QVAS fluere è Ieſu lacrymas nunc cernis ocellis,
Quàm dolor, has potiùs mittit amor lacrymas.
Totus amore flagrat: viden'? inter frigora, nudus,
Incenſus magno, geſtit, amore, Puer.

AD EVMDEM
In fœno poſitum.

PRæſepis recubans fœno, mihi pectus amore
Incendis quanto, celſe Puelle, tuo!
Eſset flamma minor, ſi cunis ditibus auro,
Gemmiſque aſpicerem membra iacere tua.
Eſset flamma minor, tibi ſi precioſa iacenti
Ornatu Attalico mollia ſtrata forent.
Ignis es: in fœno maiora incendia gignis:
In fœno, vt maior ſit mihi flamma, iaces.

DE

Digitized by Google

DE IESV;

Cuius paulò ante ortum, apparuit

Sol ariſtis coronatus.

IVſtitiæ ante ortum Solis cur ſpicea Phœbi
Viſa refulgentes cingere ſerta comas?
An, quòd Chriſtus erat cibus euaſurus? an, illi
Quòd cinctura ſacrum ſpinea ſerta caput?

DE EODEM

In idem.

ABiectas inter, Solem miraris, ariſtas?
Non ego, dum fœno cerno iacere Deum.

DE ANTRO BETHLEMICO,

Super quo ſtella ſtetit.

COElum eſt, aſtrigerum antrum Bethlem: Luna vbi? vbi Sol?
Sol, natus Deus eſt; Luna, Maria nitet.

Digitized by Google

Placuit Auctori poſt hæc Epigrammata ſubdere quatuor hymnos Eccleſiaſticos cum ſua conuerſione in hymnos de Chriſti Natiuitate.

Hymnus Eccleſiaſticus
DE CONFESSORE.

ISTE Confeſſor Domini, colentes
Quem piè laudant populi per Orbem,
Hac die lætus meruit beatas
Scandere ſedes.
Qui pius, prudens, humilis, pudicus
Sobriam duxit ſine labe vitam,
Donec humanos animauit auræ
Spiritus artus.
Cuius ob prꝗſtans meritum, frequenter
Ægra quæ paſsim iacuere membra,
Viribus morbi domitis, ſaluti
Reſtituuntur.
Noſter hinc illi Chorus obſequentem
Concinit laudem, celebreſque palmas,
Vt pijs eius precibus iuuemur
Omne per æuum.
Sit ſalus illi, decus, atque virtus,
Qui ſuper Cœli ſolio coruſcans,
Totius Mundi ſeriem gubernat
Trinus, & Vnus.

Hymnus DE CONFESSORE, conuerſus in Hymnum De CHRISTI Natiuitate.

ISTE ſucceſsor veteris Parentis,
Quem piè laudant ſtabulo coloni,

Hac

Hac die Bethlem niueo beauit
Corpore ſedes.
Qui pius, Mundum miſerans iniquum,
Virginem ſumpſit ſine labe vitæ,
Cuius, humanos animatus artus,
Exijt aluo.
Huius hinc partus, media frequentes
Nocte qui laſsis gregibus cauebant,
Angeli verbis moniti, ſalutis
Rege fruuntur.
Pauper en illi Chorus obſequentem
Concinit laudem, geminatque cantus,
Vt pijs eius meritis iuuetur
Omne per æuum.
Sit ſalus illi, decus, atque virtus,
Qui ſuper fœno ſtabuli recumbens,
Totius Mundi ſeriem gubernat,
Diues, abundans.

Hymnus Eccleſiaſticus

DE CHRISTI TRANSFIGVRATIONE.

QVicunque Chriſtum quęritis,
Oculos in altum tollite;
Illic licebit viſere
Signum perennis gloriæ.
Illuſtre quiddam cernimus,
Quod neſciat finem pati,
Sublime, celſum, interminum,
Antiquius Cęlo, & chao.
Hic ille Rex eſt Gentium,
Populique Rex Iudaici,
Promiſsus Abrahæ Patri,
Eiuſque in æuum ſemini.

Hunc,

Hunc, & Prophetis teſtibus,
Iiſdemque ſignatoribus,
Teſtator, & Pater iubet,
Audire nos, & credere.
Ieſu, tibi ſit gloria,
Qui te reuelas paruulis,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula.

Hymnus de CHRISTI Transfiguratione conuerſus in Hymnum de CHRISTI Natiuitate.

QVicumque Chriſtum quæritis,
Oculos in antrum vertite;
Illic licebit viſere
Parem Paternæ gloriæ.
Inſigne quiddam cernimus:
Qui neſcit à Cęlo capi
Sublimis, atque interminus,
Anguſto in antro clauditur.
Hic ille Rex eſt Gentium,
Populique Rex Iudaici,
Promiſſus Abrahæ Patri,
Eiuſque in æuum ſemini.
Hic, & Prophetis teſtibus,
Ijsdemque ſignatoribus,
Saluabit Orbem per Crucem:
Audite, gentes, credite.
Ieſu, tibi ſit gloria,
Qui te reuelas paruulum,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula.

Hymnus

Hymnus Eccleſiaſticus
DE S. MARIA MAGDALENA.

PAter ſuperni luminis,
Cum Magdalenam reſpicis,
Flammas amoris excitas,
Geluque ſoluis pectoris.
Amore currit ſaucia
Pedes beatos vngere,
Lauare fletu, tergere
Comis, & ore lambere.
Adſtare non timet Cruci:
Sepulchro inhæret anxia;
Truces nec horret milites:
Pellit timorem Charitas.
O vera, Chriſte, Charitas,
Tu noſtra purga crimina,
Tu corda reple gratia;
Tu redde Cęli præmia.
Patri, ſimulque Filio,
Tibique Sancte Spiritus,
Sicut fuit, ſit iugiter
Sæclum per omne gloria.

Hymnus de S.MARIA MAGDALENA conuerſus in Hymnum de CHRISTI Natiuitate.

NAtus ſuperni Numinis,
Quem nunc trementem reſpicis,
Flammas amoris excitat,
Gelu probat dum temporis.

Auens Cruci iam brachia,
Pedeſque clauis iungere,
Latuſque ſæuæ lanceæ
Ardens amore pandere.
Portare iam ſtudet Crucem;
Speluncæ inhæret angulo,
Brumæque ſuffert frigora:
Subit dolorem Charitas,
O vera, Chriſte, Charitas,
Tu, noſtra purga crimina;
Tu corda reple gratia;
Tu, redde Cęli præmia.
Patris ſuperni Filio,
Nato ſacra nunc Virgine,
Sicut fuit, ſit iugiter
Sæclum per omne gloria.

Hymnus Eccleſiaſticus de eadem D. MARIA MAGDALENA.

MARIA caſtis oſculis
Lambit Dei veſtigia,
Fletu rigat, tergit comis,
Deterſa nardo perlinit.
Deo Patri ſit gloria;
Eiuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, & per omne ſæculum.

Hymnus de D. MARIA MAGDALENA conuerſus in Hymnum de CHRISTI Natiuitate.

MARIA charis oſculis
Artus Dei perfrigidos
Lætè ſinu ſtringit, fouet,
Dilecto, in antro perfruens.
Nato Dei ſit gloria,
Concepto in aluo Virginis
De Spiritu Paraclito,
Cui nunc locus prę ſepium.

In Solemnitate CHRISTI Natiuitatis

Cum Nicodemiæ multa Chriſtianorum millia ad Dominicum conueniſſent, neque Ioui thus vellent offerre, iuſſu Diocletiani Imperatoris Eccleſiæ foribus clauſis, ſunt igne conſumpta.

DVM qua nocte Deus Maria de Virgine natus,
Iucundis reſonat plurima turba choris,
Occluſis Templi foribus, circumque paratis
Vritur, inuicta Relligione, rogis.
Vritur; at veluti phœnix, combuſta reſurgit,
Dignaque fit vita nobiliore frui.
Euolat ad vitæ cęleſtis munera felix:
Cæleſtem ad vitam Mors pia præbet iter.

IESVM

IESVM infantem amplectens ſenex SIMEON *Ita loquitur.*

DIuinum Puerum, quem nunc mea brachia ſtringunt,
Et Sol miratur, Lunaque, & Aſtra ſimul.
Sors mihi grata nimis, mihi ſors gratiſsima, in vlnis
Cui datur, hoc Puero cuncta beante frui.
Iam mea felici claudantur lumina pace:
Terra nihil melius, quod tueantur, habet.

In verba Lucæ, Cap. xxij.

Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius.

AD CHRISTVM.

CHriſte, decor Cęli, ſpiras qui totus amorem,
Cur tibi nunc faciem turba inimica tegit?
Turba, puto, vt poſsit te lædere, cernere vitat:
Tam placidus vultus non ſinit eſse trucem.
Pectora miteſcunt, ſi cerneris: ò, ego ſemper,
Vnquam ne poſsim lædere, te videam.

IN CHRISTI verba è Cruce pendentis, ad MATREM: Mulier, ecce Filius tuus, & ad Ioannem: Ecce Mater tua.

VIrginis excelſo Natus de ſtipite pendens,
Sic illi: *Mulier, Filius ecce tuus.*
Mox in dilectum languentia lumina vertens
Diſcipulum, *Mater*, ſic ait, *ecce tua.*

Ioan-

Ioannes, Chriſtus: dubitas? miraris? amicus,
(Cunctorum hoc linguis perſonat) alter ego.

In laudem S. Ioannis Apoſtoli, *vide apud Auctorem* Anagramma, *in Libello* Anagrammaton, *ad quod hic alluditur*.

DE CHRISTO pendente de Cruce.

Ad pomum vetitum ſit alluſio.

Vitalis fructus, pendens Crucis arbore; vitæ
Quæ rapuit fructus munera, reſtituit.

Diſtichon

In Paraſceue

Subiectum CHRISTI Sepulcro,

Super quo inter VIRTVTES primarias collocata Crucem ſacra RELIGIO extollebat.

Tolle Crucem, ſacra Religio; gaudete viciſsim,
Virtutes: Crucis eſt arbore Vita data.

Diſtichon alterum
In eodem CHRISTI Sepulcro:

Non folijs, potiùs lacrymis hoc ſparge Sepulchrum,
Gens pia, vbi pro te mortua Vita iacet.

Crux

Crux CHRISTI dat remos.

IN tumido ceu cymba mari, ſpumantibus vndis,
Quas fera ventorum flamina ad aſtra ferunt,
Remis frangit aquas, pelagique pericula ridens,
Optati portus littora fida petit;
Sic homo, cymba velut, tumido Mundi æquore, Cœli,
Cum Cruce, ceu remis, littora tutus adit.

Homo conuerſus ad CHRISTVM Cruci affixum.

Clauſum eſt cum alluſione ad illud dictum, prouerbialiter vſurpatum:

Clauo trabali figere beneficium,

Ad inextinguibilem beneficij memoriam ſignificandam.

SAlue, oblate Patri pro me, ſacra victima, Chriſte;
Salue amor, ò animæ, Chriſte, ſaluſque meæ.
Cur ſcelera admiſi? tot cur infanda patraui?
Hæc necis (heu video) cauſa fuere tuæ.
Cur ego, cur vixi? vitalia ſtamina cur non
Ante ſcidit ſubita, Mors properata, manu?
Hac ego dignus eram nece perfidus; hæc mihi ſonti
Dignus eram, vt raperet nex truculenta animam.
At non paſſa mori tua me clementia: mortem
Tu paſſus, vitæ motus amore meę.
Chriſte, amor es totus: ſpirant tua viſcera amorem
Cuncta: amor in toto corpore, Chriſte, patet.
Hunc manibus claui, pedibuſque, hunc lancea ſignàt
Pectore, & hunc fluidus ſcripſit vbique cruor.
Quas tibi pro fuſo perſoluam ſanguine grates?
Pro tanto referam quid tibi amore, Deus?

Tantì

Tanti equidem nunquam capient me obliuia amoris?
Tanti, Chriſte, memor ſemper amoris ero,
His vtar clauis: his, Chriſte, trabalibus, alto
Semper erit clauis, pectore fixus amor.

IDEM AD EVMDEM.

CVr tua ſumma, Deus, pietas non laude perennet?
Totus amor, Deus, es; Deus, es clementia totus.
Non ne ego dignus eram cædis, qui crimine multo
Te læſi inſontem, immerita qui cæde peremi?
Tu tamen, ora licèt vexarim felle, & aceto
Impius, extendi quamquam atrox brachia, palmas
Affigens, clauiſque pedes in ſtipite fixi,
Atque oculos tandem obtexi lethalibus vmbris;
Tu tamen (ò pietas! video, agnoſcoque, proboque.)
Occluſis oculis meliùs me reſpicis, atque
Affixis pedibus, properas velociùs ad me,
Meque magè adſtringis, tibi dum mage brachia paſſa,
Languidaque ora gerens, ardentiùs oſcula iungis.

De ortu Solis in CHRISTI Reſurrectione.

Ex verbis illis Marci *Euangeliſtæ.*

Et valdè mane, vna Sabbatorum, veniunt ad Monumentum, orto iam Sole.

IAM Sol ortus erat, cum valde mane, ſepulcrum
Ad Chriſti, Mariæ corripuere viam.
Quì Sol ortus erat, valdè ſi mane feruntur
Deueniſse? prius forſitan ortus erat?
Haud aliter: ſurgente Deo, Sol antè refulſit,
Qui moriente Deo texerat ante iubar.

SACROSANCTVM EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM.

Anagramma . *t, in i.*

HIC SAT AMATA MENSA
CARNIS IESV CVM CRVORE.

EVCHARISTIA

Anagrammata. V.

I. HIC SITA VERA . *purum.*
II. HIC ESCA, VITA . *r, in c.*
III. HIC *V*ERA VITA . *s, in v.*
IV. CHARA IVSTIS . *e, in s.*
V. HÆC VITALIS. *r, in l.*

Epigramma ex his Anagrammatis.

Et ex illo apud Ioannem *capite* V.

Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

FElix, cui ſacræ fas eſt accumbere Menſæ:
Felix, cui ſummi Menſa parata Dei.
HIC SITA ſunt VERA, hic Ieſu, corpuſque, cruorque;
HIC ESCA, hic VITA, HIC VERAque VITA datur.
Quàm CHARA hęc IVSTIS! HÆC quàm VITALIS edenti!
Nam ſuper hac Menſa vita perennis erit.

DE

DE EODEM EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

In illa Cant. Verba,

Dilectus meus candidus, & rubicundus.

C*Andidus* à Sponſa Sponſus, *rubicundus* & idem
Dicitur, vt dulci Cantica voce ſonant.
Candidus eſt ſpecie panis, *rubicundus* amoris
Igne, cibans animas, quo pia corda fouet.

In hæc verba CHRISTI ad Cęcum, *Apud* Lucam. *Cap.* 18.

Quid tibi vis faciam?

Cæciq; reſponſionem,

Domine, vt videam.

Q*Vid tibi*, Chriſtus ait, *faciam vis*, lucis egene?
Fac, *Domine, vt videam*, lucis egenus ait.
Confeſtimque videt: quæ terris gratia maior?
Gratia vel Cęlo eſt ſumma, videre Deum.

In hæc EIVSDEM verba, *Apud* Ioannem, *Cap.* 8.

Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.

M E quiſquis ſequitur, tenebras non ille penetrat.
Sol ego: ſunt tenebræ, Sole nitente, procul.

MARIA
Virgo, & Mater,
& ſine macula originali concepta
oſtenditur Anagrammate *ſequenti*, *contexto ex litteris harum dictionum*.

AVE, MARIA, GRATIA PLENA, DOMINVS TECVM.

Anagramma. *p, demptum.*

VNA, VIRGO, ET MATER, SINE MACVLA ADAMI.

Diſtichon.

In Anagramma, *& in illa verba*, gratia plena.

VIrgo, ſimulque parens Maria eſt, primique reatus
Expers; huic plenè gratia namque data eſt.

DE EADEM

Originali ſine macula concepta. *In illa* Eccleſiaſtici *verba*, Ego ex ore Altiſsimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.

CVr poſt, à primis, tot ſæcla, Parentibus orta
Se primogenitam, Virgo beata vocat?
Quòd non illorum Maria eſt maculata reatu,
Labe erat immunem quæ paritura Deum.
Nam licèt hæc terris poſt primos orta Parentes,
Ante, hæres maculæ ne foret, orta Deo.

DE

De eadem B. VIRGINE immaculata

Anagramma cum Diſticho.

SANCTA MARIA VIRGO MATER DEI.

Anagramma purum

EN ROSA, EDITA MIRA CVM GRATIA.

Diſtichon.

EST Roſa ſente procul, peccati neſcia Virgo:
Sic beat innocuam gratia mira Roſam.

DE EADEM DEIPARA.

Anagramma alterum

Ex ſuperioribus quoque vocibus deductum.
r, conuerſo in t,

EVA, AT GRATA: MORTIS MEDICINA.

Diſtichon.

EVA, at grata, Dei Mater fuit inclyta; fructu
Eua prior mortem, fructu attulit altera vitam,

Digitized by Google

Præterea ex litteris quoque ſuperiorum dictionum, alia etiam hic; idẽ Auctor Anagrãmata *contexuit, videlicet ſex & quadraginta, quæ Lector videre poterit in eiuſdem* Anagrammaton *Libello*.

In Viſitatione EIVSDEM ad Eliſabeth.

[*Ex eo Lucæ*, Abijt in montana cum feſtinatione. *Cap.* 1.

FOETA Deo Virgo, Galilææ ſedula montes
Aſcendit, grauidam viſat vt Eliſabeth.
Ventre latens feſtinat iter: ſunt culmina grata:
Nondùm ortus, lætus tendit ad alta Puer.
Nec ſemel, aut iterum iuga montis natus adibit;
Aſcendet, dabitur quoad ſibi monte mori.

Verba CHRISTI in Cælum MARIAM vocantis,

Ex Cant. Canticorum.

COLVMBA MEA, VENI.

Anagramma. *e, in h.*

AB HVMO IN CÆLVM.

In Anagramma.

SVrge AB HVMO IN CÆLVM (ſic Matrem affatur Ieſus)
Surge, veni, mea iam ſurge, Columba, veni.
Turpe ſolum quid adhùc retinet te, pulchra Columba?
Quid belli ſedes, pacis amica, tenes?

Deſe-

Deſe re turpe ſolum, mea pulchra Columba, & Olympi
Ad placidas auras, pacis amica, vola.

SANCTA MARIA MATER DEI
HODIE ASSVMPTA EST IN CÆLVM.

Anagramma purum.

EA ASCENDIT, VT E MALIS
RAPIAT SECVM HOMINEM AD ASTRA.

In Anagramma.

Quid manant lacrymæ? nemo lacrymetur: ad aſtra
Aſcendit Virgo, nos vt ad aſtra vehat.

Verba Christi in Cęlum Mariam vocantis,
ex Cant. Canticorum.

SVRGE, AMICA MEA, ET VENI.

Anagramma purum,
in quo MARIÆ *reſponſio*.

TECVM?
AGE, IESV, EN MARIA.

In Anagramma.

Te fruar vt, Fili, Fili chariſsime, tandem,
Vt TECVM ſcandam Cœlica Regna, vocas?

Digitized by Google

Nil mage dulce mihi, mihi nil mage dulce: parenti
Quid, quàm prole frui, dulcius eſſe poteſt?
IESV, AGE; ad Empyreas da Matri euadere ſedes:
En cupit amplexus prompta MARIA tuos.
Sanguis, Nate, meus, mea viſcera, Nate, meum cor,
Brachia da collo, atque oſcula iunge genis.
Me terræ tenuere ſatis; me hinc eripe: terris,
Ah, nimis à vita vita remota, mea.

Ita CHRISTVS in Cælum MARIAM vocat?
ex Cant. Canticorum.

SVRGE, AMICA MEA, COLVMBA MEA, FORMOSA MEA, ET VENI.

Ad CHRISTVM reſponſio MARIÆ
per Anagramma *purum*.

MARIAM VOCAS?
O ME BEATAM:
O, AGE; SVME, FER IN CÆLVM.

In Anagramma.

NAte, VOCAS MARIAM? O ME, terq; quaterq; BEATAM:
Nunc fuero Soli proxima Luna meo.
O, AGE; SVME FER IN CÆLVM iam, Nate, parentem:
Sic fuerit Soli proxima Luna ſuo.
Inclyta ſors! nemo vicit me lumine terris;
Nec Cęlo, qui me lumine vincat, erit.

MA-

MARIA VIRGO IN COELOS ASSVMPTA.

Anagramma purum.

SVMMA REGINA PARI SVO LOCO SITA.

In Anagramma.

SVrge, age, ſumma Parens: ſummam ſumma atria Cęli
Poſcunt, (Chriſtus ait) ſurge, age, ſumma Parens.
Eia age, (Cœlicolę ingeminant) ſunt luſtra peracta
Bis ſeptem terris: quæ mora tanta? veni.
Summa veni Regina; humiles iam deſere ſedes:
Reginæ ſummæ non locus aptus, humus.
Aſſumpta in Cœlos ſic Virgo Maria, SVOque.
Sic REGINA PARI iam SITA SVMMA LOCO.

DE EADEM B. VIRGINE ASSVMPTA

Diſtichon

Vnà cum ſuperiori Anagrammate *aureis litteris inſculptum in Templo eiuſdem* Virginis *aſſumptæ, in Piceno, Sirolum verſus ædificato, in via, vulgo dicta,* Campodoro.

AVreus, hic, vbi campus, vbi petit Aſtra Maria,
Hic populis facta eſt aurea ad aſtra via.

SAN-

SANCTA VIRGO MARIA

HODIE ASSVMPTA EST AD CAELESTE SOLIVM.

Anagramma purum.

In quo illud magnum Apocalypſis ſignum *continetur.*

Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarum.

OH, AVGVSTE A SOLE AMICTA, PEDES LVNA, COMAS ASTRIS REDIMITA.

In Anagramma.

AD Reuerendiſs. P. IOSEPHVM A VISITATIONE, Religionis Paup. MATRIS DEI Scholarum Piarum Præpoſitum Generalem V.

DVM Sol candoris diuini in Virgine fulget,
Et demiſſa humili in Virgine Luna micat,
Virtutumq; aſtris circumdata fertur in altum,
Spectaclum hæc magnum, prodigiumque patet.
In Cælo apparet, Ioſeph, mirabile Cælum:
En Sol, & Luna in Virgine, & Aſtra nitent.

In

In idem Anagramma.

QVàm nitida aſcendit Virgo! vt Sol luce fruatur,
Corpus, Luna pedes occupat, Aſtra caput.

In eadem Apocalypſis verba,

Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus
eius,& in capite eius corona
Stellarum.

VOS, ſemper puræ conſortia Sidera lucis,
Cingite, ait Virgo, dum petit alta, caput:
Atque meum, radijs tibi, Sol, circumdare corpus
Sit fas, à maculis cui procul eſse datur.
Pura,amo pura: audit maculis obnoxia Luna,
Et ſe ſub pedibus, plena pudore, locat.

In hac verba dumtaxat,

Mulier amicta Sole.

QVid, quòd Sole nitet Virgo circumdata? plus eſt,
Iuſtitiæ Solem continuiſse ſinu.

In hac tantùm verba,

Iu capite eius corona Stellarum.

DVM Cæli Regina petit ſibi debita Regna,
Reginę occurrunt Sidera læta ſuæ;
Seque ſuprà caput imponunt, crineſque coronant:
Reginam Cœli Cœlica ſerta decent.

In

In ea tantùm verba,

Mulier amicta Sole, & in capite eius corona Stellarum.

Epigramma

Ex hetruſca ſubſequenti compoſitione.

EN Virgo Regina, throno radiante pyropis,
Vndique Solari lumine cincta, ſedet.
Nec tantùm corpus rutilo Sol ambit amictu,
Sed quoque præcingunt Virginis, Aſtra comas.
Nullius huic vnquam culpæ fuit vmbra, ſuperbo
Verſutum colubro fregit & ipſa caput.
Iure igitur formoſam adeò Sol ambit, & Aſtris
Lucida victrici rite corona datur.

SIEDE sù Trono di piropi ardente
La Vergine Reina,
Ch'ha di teſſuto Sol toga diuina,
E d'Aſtri coronato il crin lucente:
Mà ſe giamai non chiuſe ella nel petto
Ombra di colpa, e à noi porgendo aiuto
Con generoſo affetto
Ruppe al Drago ſuperbo il fronte aſtuto,
Ben conuien al ſuo merto,
Ch' habbia vn manto di Sol, di Stelle vn ſerto.

Sub

Sub imagine DEIPARÆ Aſſumptæ

Romæ olim in æs inciſum Epigramma.

Cœlum, ſepultum MARIÆ corpus, vt ſibi debitum, petit à Terra.

TErtia iam lux eſt, Cęlum inquit, Virginis almæ,
Terra, tamen corpus reddere dura negas?
Arcam diuinam, qua olim Deus ipſe latebat,
Indignum, gremio, Terra, iacere tuo.
Cui ſic Terra: animam, Cęlum complectere; corpus
Terrenum eſt: Terræ reddita terra ſuæ.
At Cęlum, nil iuris, ait, tibi, Terra; ſepulchri
In tenebris corpus dedecet eſse tui.
Virgineæ carni, rediјt dum Chriſtus ad aſtra,
Aſcendendi ius ad mea Regna, fuit.
Namque caro Chriſti, caro Virginis; hoc mihi corpus,
Terra, igitur reddas: iure repoſco meo.

Vt in hoc epigrammate Cœlum VIRGINIS corpus à Terra repoſcit, ita idem Cœlum in quodam huius Auctoris poemate, ſolatur Terram, ob diſceſſum einſdem VIRGINIS mœſtam, lacrymantemque. Quod Poema, quoniam typis impreſſum placuiſſe intellexit, poſt finem huius primi Libri poni facile permiſit; neque enim Librum aliquem Poematum conficere meditatur, cum longis compoſitionibus non libenter vacet.

In eiuſdem DEIPARÆ VIRGINIS laudationem,

Ex Niue prodigioſa, Romæ ſuper colle Exquilino *Non. Aug. cum alluſione ad illud* Cant. *Electa, vt Sol, & ad illud Pſ.* 18.

In Sole poſuit tabernaculum ſuum.

DVM Leo hiulca furens vrebat atrociùs arua,
Nix ſuper (ò mirum) decidit Exquilias.
Ioanni, vxorique ſibi vt fundamina Templi
Hic iacerent, Mariam ſignificaſſe ferunt.
Virgo electa Deo ceu Sol candoris & olim,
Atque Deo hoc placuit ducere Sole moras.
Dilige candorem, Mariæ placiture, Deoque:
Nix Mariæ placuit, Sol placuitque Deo.

Idem ita expoſitum.

EST Sol mirando Virgo candore Maria;
Hoc ſibi vult ſedem ponere Sole Deus.
Miranda Exquilias calido Nix tempore complet:
Hac ſibi vult ſedem ponere Virgo Niue.
Candida, quàm chari, queis puraque corda, Mariæ,
Quàmque Deo! hic Solem diligit, illa Niuem.

In

In eiuſdem VIRGINIS laudem, ex eadem Niue

maximos inter calores illæſa.

INtacta Exquilijs viſa eſt Nix plurima Nonis
Auguſti, Herculeus quo Leo torret agros.
Indicat hoc, Mariæ per quàm mirabile factum;
Quod valdè obſtupeas, ſcilicet illa facit,
Cum iuueni, inferno flammas agitante Leone,
Intactas animi ſeruat in igne Niues.

De eadem Niue prodigioſa.

CErnitur Exquilio Niuium quæ copia Colle,
Ingerit ò quantas in mea corda faces.
Virginis incendor Mariæ candoris amore,
Quæ ſignat Niuibus ſacra vbi tecta velit.
His candorem animi Niuibus ſuadentibus vror;
Et poſſum calidas dicere iure Niues.

SANCTVS MICHAEL PRÆPOSITVS PARADISI.

Anagramma purum.

ipſius Imagini per quam accommodatum.

HIC PRAVI DÆMONIS PRESSI CAPVT LASSAT.

In

In Anagramma

AD ECCLESIAM CATHOLICAM.

NE Phlegethonteas, Eccleſia diua, phalanges
Horreſcas; magnus Dux tibi tendit opem.
Fortis adeſt Michael: inuictus, ab æthere ſummo
Elatas acies truſit hic in barathrum.
DAEMONIS en PRAVI PRESSI CAPVT HIC pede LASSAT:
Dæmonis en Michael turgida colla domat.

Anagramma alterum ex carmine Iambico, *ex ijsdem ſuperioribus vocibus deductum, p, demptum.*

PIVS REA HOSTIS AVSA CALCANS DEPRIMIT.

OMNES SANCTI ANGELI CVSTODES.

Anagramma purum

INGENS!
SVNT COMITES AD CÆLOS.

In Anagramma.

INGENS! SVNT COMITES AD CÆLOS, tradita (noſtri
Queis primo à vitæ limine cura fuit.
Fortunatus homo! per lubrica, & aſpera, ductu
Angelico, tutus, ſertque, refertque gradus.

Fortunatus homo! per mille pericula mundi,
Angelica ductus, tendit in aſtra, manu.

Anagramma alterum

Ex litteris ſuperiorum dictionum contexum vide apud Auctorem in Anagrammaton *libello.*

DE SANCTA DOMO LAVRETANA.

CIrcumdant ſacris quam marmora ſculpta figuris,
Infantis Ieſu teſtis, amica Domus.
Sæpe manus ſenſit reptantes, ſæpeque plantas;
Gauiſa eſt genibus terraque ſæpe premi.
O quoties Chriſti ſonuit pia vocibus AEdes:
O quoties lacrymis humida terra fuit.
Hæc Domus, (hæc Domus eſt?) quem vaſta Palatia Cœli
Non poterant, potuit continuiſse Deum.

DE EADEM.

HAEC eſt illa Domus, quæ tantum præſtitit Orbi,
Quantum Cœlicolis præſtitit ipſe Deus.

SANCTVS IOSEPHVS E TRIBV DAVID.

Anagrammata II.

I. HVIC SENI (O PROBITAS!) DATVS DEVS. *v, in* O.
II. HVIC SVBDITVS IPSE NATVRA DEVS. *o, in v.*

In Anagramma I.

CVi bene Ioſephi nota eſt, laudataque virtus
Summa? SENI (O PROBITAS!) HVIC DEVS ipſe DATVS.

In Anagramma II.

cum alluſione ad Nomen.

O Verè augmentum, Ioſeph; quantumque! decebat
Te plane tanti nominis altus honor.
Creſcere non poteras maior; tibi Sponſa, Tonantis
Mater, eratque tibi ſubditus ipſe Deus.

Hymnus

DE SS. IOACHIMO, ET ANNA.

OMnium laudum reſonent honore
Nomina illuſtris Ioachimi, & Annæ;
Quiſque præclarum meritis vtrumque
Tollat ad aſtra.
Nomine hic ſignans Domini apparatum,
Filiam, Templum Domino parauit,
Quam ſatis pulchram dedit Anna, cuius
Gratia Nomen.
Quanta in ambobus probitas, amorque
Quantus, & quantus pietatis ardor,
Ex quibus, Mater bonitate ſumma
Edita Chriſti.

Debitas

ebitas grates, Ioachime, ſoluat
uis tibi, & dignas tibi ſoluat, Anna?
on opis noſtræ; ſuperatis omnes
Virgine grates.
laximè obſtricti ſumus, ò beati
oniuges, vobis: bona cuncta, veſtra
tole manarunt, miſerè iacenti
Vitaque Mundo.
ac, tibi celſas, ſine fine, laudes,
Hiſque in æternum pariter canamus,
O Deus clemens, Deus ò tributor
Ample bonorum.

Hymnus
DI IISDEM.

ANNA, ſat felix ſuper orbe, & Aſtris,
Tuque ſat felix, Ioachime coniux
Virginum Virgo quibus orta, Adami
Neſcia labis.
Plurimi pulchram ſobolem dedere,
Plurimi pulchram ſobolemque gignent,
Attamen nulli magis hac decoras,
Prole, puellas.
Pulchra proh quantum! Pater hanc ſupernus
Sumpſit in Natam, ſibi Flamen almum
Sumpſit in Sponſam, Genitori & æquus
In Genitricem.
Cuius excelſum recolen sdecorem
Sol, ſacrum corpus radiatus ambit,
Luna ſe ſubdit pedibus, coronant
Sidera crines.

Ambo quàm chari, Ioachime, & Anna,
Maximè auguſtæ Triadi fuiſtis!
Coniuges nullos ſimilis beauit
Munere Prolis.
Chriſte, præ cunctis ſpecioſe, Matris
Da, tuę, ac eius meritis Parentum,
Nos tui vultus, acie perenni
Cernere lumen.

Hymnus
DE IISDEM.

Ex Verbis S. Epiphanij *Epiſcopi, in Orat. de* Laudibus Virginis. IOACHIM, & ANNA gratiam acceperunt, vt accedentibus precibus talem fructum germinarent Sanctam VIRGINEM adepti; IOACHIM ſiquidem precabatur in monte, & ANNA in horto ſuo.

Moſes congeminans monte precamina,
Legem promeruit ſumere amabilem;
Orans ſed Ioachim monte, beatior
Factus munere Filiæ
Matris Legiferi: ſic viridario
Coniux Anna manus vexit, vt altera
Eua; at diſsimili quàm nimis exitu
Palmas extulit vtraque.

Ver-

Google

Verſuto colubro fœmina credula,
Attollens vetitam brachia ad arborem,
Pomum corripuit, quo ſibi mortifer
Succus fluxit, & omnibus.
Aſt Anna ad ſuperum brachia dirigens
Numen, lecta Parens Virginis inclytæ,
Fructu digna fuit, quo ſibi prodijt,
Cunctis vitaque gentibus.
Grates perpetuæ ſint tibi, Trinitas;
Tu nos inſidijs Dæmonis eripis:
Tu mortem remoues: tu bona perpetis
Vitæ munera porrigis.

DIVVS IOANNES BAPTISTA DOMINI IESV CHRISTI PRRAECVRSOR.

Anagramma purum,

INSANI HERODIS (RES IMPIA) DIRO IVSSV CAPITE OBTRVNCATVS.

Anagramma alterum,

n, conuerſo in o.

IS, VIR PRORSVS INSONS, AB HERODE VITII AMICO DECAPITATVS.

In vtrumque Anagramma.

POſtquam Herodiadis dederat Nata improba ſaltus,
Hæc illi Herodem dicta dediſſe ferunt.
Cuncta, puella, petas, quorum corde æſtuat ardor:
Dimidium Regni ſi quoque poſcis, habe.
Impia, Baptiſtæ inſontis caput illa popoſcit;
Protinus abſcindi iuſſit & ille caput.
O regem inſanum: ſaltus dedit vna puella?
Non: ſaltus Regis mens quoque ſtulta dedit.

SANCTI PVERI INNOCENTES EX BETHLEM CIVITATE DAVID.

Anagramma purum.

CVNCTI, VIX NATI;
(IMPIETAS)
AB HERODE NECE DELETI SVNT.

In Anagramma.

CVNCTI, VIX NATI (IMPIETAS) HERODE AB iniquo
SVNT NECE DELETI; quàm ferus ille fuit!
Sic erumpentes gemmas coquit algidus aer:
Turbine ſic rigido vix Roſa nata perit.

Sunt alia Anagrammata de Iiſdem in Anagrammaton Libello.

De ſtrenuiſsimo Fratre MACHIR nominato, tertio ex ſeptem fratribus Machabæis, *propter diuinæ legis obſeruantiam ſub Rege* Antiocho *perempto, qui, vt cap. 7. lib. 2.* Machabæorum *narratur,* linguam poſtulatus, citò protulit, & manus conſtanter extendit.

TErtius en frater, Matris generoſa propago
Inuictæ, vt reliqui, barbara nulla timet.
Exere, lictor ait, linguam; citus exerit: ambas
Daque manus; forti pectore datque manus.
Sic Machir validus vincit, dum namque ſecandas
Dat palmas, palmas non minus iſte capit:
Quemq; ab Rege refert conſtanti corde triumphum,
Nunc elinguato rectiùs ore canit.

DE PRINCIPE APOSTOLORVM

in vinculis:

Ad HERODEM Regem.

HErodes, quid agis? manibus nunc vincula Petri
Nectis, cui Cœli ius aperire fores?
O ſcelus infandum! ſceleri iam debita tanto.
Pœna tuo; pœnam, iam ſcelerate, luis:

Ecce, manus arctant Petro dum vincula, Petrus
Cœli aperire fores, non tibi, ſæue, poteſt.

De ſalutiferis EIVSDEM Vinculis, & Vmbra.

QVid mirare, Petri dare vincula tacta ſalutem?
Hanc quoque, vel fugiens, illius vmbra dedit.

De eodem D. PETRO Apoſtolo.

Ad NERONEM Imp.

cuius ille iuſſu, ſupplicio crucis affectus

ex hoc Anagrammate *puro*,

ROMA PETRI

hac ex voce deducto ab Auctore,

IMPERATOR,

NOn tua; ROMA PETRI, Nero barbare, quem
Cruce mactas:
Hoſtis tu Romæ: non tua; ROMA PETRI.
Hoſtis tu Romæ, Pater hic; pia dogmata pandens
Hanc genuit Cœlo: non tua; ROMA PETRI.
Quid tibi nex Petri prodeſt Nero? clamat honoris
Ecce tui nomen nunc quoque: ROMA PETRI.

SANCTVS PETRVS, ET SANCTVS PAVLVS PRINCIPES VNIVERSÆ TERRÆ.

Anagramma purum, & metricum.

EN VNVS, CAPVT INVERSVS, PASSVS CRVCE SPIRAT, ALTER AT, ENSE PERIT.

In Anagramma.

Ad ſapientiſsimum Epiſcopum

HYACINTHVM LIBELLVM, ex Ordine Prædicatorum, olim Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtrum.

Maxima Catholicæ Fidei tutela, Libelle,
Mors Petri, & Pauli quàm ſit honora, vide.
Martyrium Mundi Procerum vox euehit omnis:
Vel propria extollunt Nomina Martyrium.
EN VNVS, CAPVT INVERSVS, PASSVS CRVCE SPIRAT,
(Nomina ſic reſonant) ALTER AT, ENSE PERIT.
Dignum equidem, cunctis reſonet quod vocibus, & quod
Tàm ſacra, voce ſua, Nomina ad aſtra ferant.

SAN-

SANCTVS PAVLVS, ANTEA SAVLVS, PRÆDICATOR GENTIVM.

Anagramma purum.

ERAT (MIRANDA CANAS) SICVT LVPVS,
POSTEA VELVT AGNVS.

Idem Anagramma leuiter immutatum.

I, in a, conuerſo, data opera, argutiæ cauſa, vt diſticho patebit.

VITA (CANAS) MIRANDVS:
CEV LVPVS ERAT, AT POSTEA AGNVS.

In Anagramma.

HIc vbi conſpicitur, Lupus olim, verſus in Agnum,
L quoque in A verſum non niſi rite patet.

Anagramma purum

Ex ſuperioribus quoque vocibus deductum:

IS ALTA LAVDE SANE MAGNVS CAPVT TRVNCATVS PRO IESV.

In Anagramma.

PRo Ieſu, cuius ſemper depromere Nomen
Gaudebat Paulus, nec non pia facta referre,
Fortiter occubuit: CAPVT IS TRVNCATVS amato
PRO IESV, SANE LAVDE ALTA MAGNVS, in Orbe
Euehitur toto: depromere nomen Amici,
Factaque nam facile eſt; pro eodem fundere vitam
Hoc opus; hic labor eſt; hoc ſummi robur amoris.

SANCTVS ANDREAS APOSTOLVS

GERMANVS PETRI, ET IN PASSIONE SOCIVS.

Anagramma purum:

ANNOSVS PRO IESV PASSVS EST,

A CRVCIS LIGNO SAT RITE AMATO PENDENS.

In Anagramma.

Ad Proconſulem ÆGEAM, cuius iuſsu affixus Cruci.

CVR pergrata Crucis ligna, exoptata diùque
Andreæ, Ægea, nunc male ſanè, paras?
Hæc amat iſte ſenex: viden' vt citò brachia lignis
Porrigit, & lignis aptat vt iſte manus?
Inſipiens, nautæ experto qui ligna miniſtras:
Vertit hic in remos nunc duo ligna duos.
En iter, Empyrei, Andreas ingreſsus, ad oras,
Ægea, Ægeas his bene ſulcat aquas.

ANDREAS. Anagramma. ARDENS. *a, demptũ.*

In Anagramma.

ANdreas proprio bene Nomine cernitur *Ardens.*
Ardens ſed meliùs cernitur ille Cruce.

SANCTVS BARTHOLOMÆVS E GALILÆA, DOMINI IESV CHRISTI APOSTOLVS.

Anagramma purum,

Ex illo Eccl. Induit eum ſtola gloriæ. *cap,* 45.

HIC A SÆVISSIMIS PELLE OBNVDATVS
MICAT HONORATVS STOLA GLORIA

In

In Anagramma.

QVàm ſua lethiferis hilaris dat membra tyrannis!
Quàm nece crudeli Bartholomæus ouat!
Quàm gaudet, dum dextra ferox è corpore veſtes
Eripit, & corpus pellibus exſpoliat!
Namque ait: in Cęlis precioſiùs induar: i nunc;
Corporis induuias, turba ſceleſta, rape.

DIVVS MARCVS EVANGELISTA PROTECTOR.

Anagramma purum.

PRO ARA VENETIS, COR, GLADIVS ET SCVTVM.

In Anagramma.

COnfugiunt Veneti ad Marcum, dum Thracia ſæuit:
Ara, *cor* eſt *Venetis*, *gladius*, *ſcutumque* ſalutis.

MARIA MAGDALENE.

Anagramma . *l, in n.*

EN ANAGRAMMA DEI.

In Anagramma,

ex dicto Dauid *Pſal.* 76.

Hæc mutatio dexteræ Excelſi .

EN ANAGRAMMA DEI: quale hoc Anagramma? ſed inquis :
A noſtris diſpar longè Anagramma Dei.
Non diuerſâ, notis iiſdem dat verba, ſed iiſdem
Hic inſtrumentis, dat pia facta, malis.
Os, oculi, atque comæ Mariæ errauere, manuſque;
Corpore quin toto læſerat iſta Deum.
Ecce, iuuante Deo, plantas os lambit Ieſu,
Ecce rigant oculi, perpoliuntque comæ:
Atque manus vngunt nardo: quin Magdala, toto
Corpore, culparum preſsa dolore, iacet.
Hoc Anagramma Dei: Excelſi hæc mutatio dextræ:
Diuina hoc tantùm dextra Anagramma facit.

MA-

MARIA MAGDALENE, SANCTÆ MARTHÆ SOROR.

Anagramma. *a, r. in c, p.*

HÆC AMANS GEMIT,

AC PLORANS ARDET AMORE.

In Anagramma

Diſticha III.

I.

ARdens hæc plorat, plorans hæc ardet amore:
Igne aqua ſic mirè exſurgit, & ignis aqua.

II.

QVo fuerat genitus, gignit nunc fletus amorem;
Ergo canas: gignit filius ecce patrem.

III.

VT viride humeſcit lignum, dum feruet ab igne,
Sic lacrymis, ardens Magdala amore, fluit.

DIVVS

Digitized by Google

DIVVS STEPHANVS LEVITA.

Anagramma purum:

HEV, EN IVSTVS LAPIDATVS.

In Anagramma.

HEV, EN IVSTVS obit LAPIDATVS: Iuſtus ab Orbe
Expectare reo non niſi ſaxa poteſt.

DE EODEM D. STEPHANO

Orante pro hoſtibus, cum lapidaretur.

AD R. P. SEBASTIANVM A' S. FRANCISCO, Bononienſẽ.

Domus Romanæ Patrum Scholarum Piarum Rectorem.

PErcutiunt Stephanum dum ſaxa furentia, ſaxa
Pectore conſtanti fert, & amore calet.
Protinus ecce ſuis pro ſæuis hoſtibus orans,
Feruidus effundit feruida vota Deo.
Aſpicis? hic conſtans cum ſit petræ inſtar, ab ipſis
Percuſſus petris, ilicet igne flagrat.

DE-

DE EODEM S. STEPHANO,

in illa verba Act. Apoſt. *cap*. 7.

Ecce video Cælos apertos.

REX eſt, qui patitur: motus premit ille, domatque,
Et parcit clemens hoſtibus ille ſuis.
Rex eſt, dum Stephanus lapidum fert fortiter ictus,
Hoſtibus, & placido pectore dat veniam.
Quid mirum, Stephanus Cælos ſi cernit apertos?
Rege attolluntur iam veniente fores.

DE EODEM S. STEPHANO,

in illa verba Eccleſiæ,

Gaudens ſuſcepit lapides,

vt mereretur accipere coronam gloriæ.

Alluditur ad ipſius Nomen, quod Coronam *ſignificat*.

GAudens ſuſcepit lapides Leuita: coronæ
Scilicet hos lapides nouerat eſſe ſuæ.

IN EIVSDEM Nomen.

RIte coronato Stephanus cum Nomine, primo
Cui ſacra Martyrij danda Corona fuit.

SANCTVS LAVRENTIVS LEVITA.

Anagramma purum.

LENI VVLTV ASSATVS IN CRATE.

In Anagramma.

ASſatum corpus: quid feſse Tyranne, moraris?
Verſa, & manduca: pelle, Tyranne, famem.
Sic LENI VVLTV Laurens IN CRATE proſatur
ASSATVS, Chriſti quem magis vrit amor.

DE EODEM S. LAVRENTIO,

cuius Mater nominata

PATIENTIA.

VErbera, plumbatas, lamnas tolerauit, & ignes
Intrepidus Laurens crate ſuperpoſitus.
Quid mirum? dedit huic fortem Patientia vitam:
Hæc, oſsa, hæc, neruos, viſcera, corque dedit.

Epithaphium SS. STEPHANI. & LAVRENTII;

Quorum corpora Romæ in eodem ſepulcro ſeruantur.

Ad vtriuſque Nomen alluditur.

HAc Stephanus ſitus eſt, ſitus hac Laurentius vrna,
Serta quibus nomen, Martyriumque dedit,
Ambo felices nimiùm, nimiùmque beati,
Bis quibus à ſummo Numine ſerta data;

ROMANVS

Spectata admirabili LAVRENTII fortitudine

in ignis perpeſſione,

ardens deſiderio Baptiſmatis,

ita loquens inducitur.

IGNE tuo exuror, Laurens; mihi flamma prematur:
Exuror; flammam iam mihi lympha premat.

POLYCARPVS SMYRNÆ EPISCOPVS

inſtar velorum tumentium flammas aſpiciens, quibus traditus ob Chriſti *conſtantem confeſſionem, ita loquitur.*

CErnis, vt exulto medio Polycarpus in igne?
Ignis vt vndantes, fertque, refertque ſinus?
Dat mihi pontum ignis, nauemque, ac vela miniſtrat:
Ad Cœli portum dirigo lætus iter.

DE EODEM S. POLYCARPO

in idem argumentum.

ASpicis vndantes flammas? ſunt vela ſecunda,
Vela, quibus Martyr nauigat, aſtra petit.

Diuus NICOLAVS de PATARA, Antiſtes.

Anagramma purum.

IS, VNA SALVS, TER DATA PECVNIA DOTIS.

In Anagramma.

QVid noctù, dotis, Nicolae, ter inijcis aurum?
Tam clarum, tenebris condere quæris opus?
Nox, Nicolae, nihil prodeſt; ars irrita: neſcis,
Clariùs in tenebris irradiare iubar?

DE

DE S. VINCENTIO LEVITA,

Qui ſub præſide DACIANO plurima tormenta

fortiſsimè perpeſsus,

tandem in molli culcitra poſitus exſpirauit.

AD DACIANVM.

CVI, magis vt noceas, vitam cupis, effere poni
   In molli pluma, cur, Daciane, iubes?
Si cupis hunc viuum, rigidis ne ſubtrahe pœnis:
   Inuictus pœnis neſcius iſte mori.
Sternere quem pœnæ nullæ valuere, putares,
   Si ſaperes, molli poſse perire toro.
Stulte, voluptates fortis Vincentius horret:
   Protinus hunc morti molle cubile dabit.

SANCTA LVCIA VIRGO.

Anagramma purum.

VNICA, GRATA OCVLIS.

In Anagramma Epigramma;

Quo pro optima oculorum acie, Virgini *gratias agit Auctor.*

GRande Syracuſiæ columen, tutamen & Vrbis,
Luce parum validis VNICA, GRATA OCVLIS,
O, oculis quàm grata meis es, Lucia, quando
Paruula, vel noctu, rite elementa vident.
Soluo igitur magnas pro lumine, Lucia, grates,
Grata die, atque oculis, Lucia, nocte, meis.
Maiores ſoluamque, mihi ſi denique per te
Æterna dabitur, Lucia, luce frui.

Ne quis fortè Auctorem notet, ſubijcitur hic particula epiſtolæ, quam idem Auctor ſcripſit ſapientiſſimo Epiſcopo, ſuique amantiſſimo, Ioanni Caramueli *huius* Metametrica *perlecta;atque ipſe met ſubdit in ſuo* Anagrammaton *Libello.*Legi apud eumdem (ſcilicet Hieronymum Genuinum) Anagramma de S.Lucia,idem omninò,quod ego ſuperioribus annis compoſui: Remouebo igitur à meis? nequaquam profectò; quis enim vnquam prudenter poterit iudicare,me

Ana-

Anagrammatis affluentem, tria verba furari voluiſſe? homo ditiſsimus, minutiſsimæ rei raptor temerè quidem iudicaretur.

Eadem PASCHASIO præfecto

caſtè, pièq; viuentes

Templa eſse SPIRITVS SANCTI oſtendit optimè.

CAſtè viuentes (quid, inique Tyranne, laboras?)
Sunt, conſtans inquit Lucia, Templa Dei.
Almum mirando fixit quam pondere Flamen,
Niteris incaſsum me remouere loco.
Niteris incaſsum: multorum robora proſunt
Nil hominum; proſunt nil iuga plura boum.
Templa, ô Paſchaſi demens, hominumque, boumque
Præualido credis poſſe labore trahi?
Templa Dei, caſtè viuentes, improbe, quamuis
Nolis, me ſtabili nunc fatearis, opus.

De Sanctis EMERITA, ET DIGNA Virginibus

ſub perſecutione VALERIANI Imp. paſsis.

QVàm bene nomen habent! effuſo ſanguine, Cœlum
Emerita, emerita: hoc Dignaque digna fuit.

VRSVLA M. ET OMNES SOCIÆ.

Anagramma purum.

SVMMÆ SVNT ROSÆ COELI.

In Anagramma.

Ad Illuſtriſsimum, & Reuerendiſsimum D.

D. FERDINANDVM FVRSTENBERGIVM,

olim intimum ALEXANDRI VII. Pont. Max. Cubicularium,

Nunc Epiſcopum Paderbornenſem.

EST Roſa terrenis, aut alba, aut rubra; Roſetis;
Alba, & rubra poteſt non ſimul eſſe Roſa.
Vrſula nunc, ſociæque, Roſæ vtriuſque coloris,
Virginitate albæ, Martyrioque rubræ.
SVMMÆ namque ROSÆ SVNT COELI: Cœlica tãtùm,
Fernande, has poſſunt ferre Roſeta Roſas.

In earumdem SS. VIRGINVM & MARTYRVM laudem.

In idem Anagramma.

SVMMÆ SVNT ROSÆ COELI;

Ad

Ad eumdem Illuſtriſsimum. & Reuerendiſs. D.

D. FERDINANDVM FVRSTENBERGIVM.

Authoris amantiſsimum.

VRſula quam pulchra eſt, Sociæque, rubeſcere quando
Martyrio, niueis Virginitate datur..
Candida Acidalio rubuiſse cruore Roſeta,
Iam quondam vates perſonuere leues:
Hinc, Fernande, procul, procul hinc commenta; cruore
Verè ego nunc niueas cerno rubere Roſas.

De Sancto AMBROSIO Eccleſiæ Doctore,

qui licèt totus dulcis eſſet, ac placidus,
fuit Arianis *infeſtus*.

Ad AD.R.P.CAROLVM, à S. MARIA,

Germanum, Religionis Patrum

Scholarum Piarum

Prouincialem in Germania.

MEllíferæ infanti Ambroſio circum ora volucres,
Pindaro vti quondam, Cecropioque Sopho,
Ele-

Eloquij placidi augurium, dulciſque dedere:
Ceu Apis, Ambroſius, Carole, melle fluit.
Ne mirere tamen, ſi, quos tenet hęreſis, hoſtis
Hic ferit: vt feriat, tradita cuſpis Api.

Epigramma ſub imagine D. HIERONYMI Eccleſiæ Doctoris,

Se lapide percutientis, lacrymantis, diuinoque amore flagrantis.

ECce madet lacrymis Hieronymus, ardet amore,
Dum lapis arentis pectoris oſſa quatit.
Qui lacrymas ſpectas, æſtum qui cernis amoris,
Vndas, & flammas, dic, lapis iſte parit.

Epigramma ſub Imagine

eiuſdem D. HIERONYMI, ſub noctem ſcribentis à P. ANTONIO Anconitano, à S. MICHAELE, ex Patribus Scholarum Piarum

accuratè calamo expreſſa.

SVb noctem ſcribit Hieronymus, ipſaque imago
Hoc, arte Antonj, tempore nigra datur.
Scripta tamen mage ſole nitent; & imagine nigra,
Nil, mira Antonj, clarius, arte, patet.

In

In eamdem D. HIERONYMI imaginem.

SCribenti non deeſt lumen Hieronymo; & ipſa,
Quæ ſcribit, lumen, ſi bene cernis, habent.
Namque obſcura ſuo ſcripta hæc loca lumine clarant,
Namque ſuo hæc tenebras lumine ſcripta fugant.
Non cernis? cernent docti monumenta legentes,
Et cernet, tenebris obrutus hæreticus.

SANCTVS STANISLAVS EPISCOPVS CRACOVIENSIS, ET MARTYR.

Anagramma purum.

POTEST ESSE TYPVS SAT CLARVS, AC RARVS ANIMI INCONCVSSI.

In Anagramma.

EX probrat hic ſcelera intrepidus, vitamque profundit
Inconcuſsi animi ſic typus eſſe poteſt.

SANCTVS ELIGIVS EPISCOPVS.

Anagramma. *ſ. in e.*

ECCE, GENS, VITA SVIS POPVLIS.

In Anagramma.

O GENS, ECCE bonus Paſtor, ſacra pabula præbens
Eligius, POPVLIS cœlica VITA SVIS.

DE SS. GILDARDO, ET MEDARDO

Epiſcopis, Fratribus,

Qui eodem die nati, eodemque Epiſcopi conſecrati, vno quoque die, de terra ſubtracti ſunt.

Ad Eruditiſſimum Virum

CAROLVM MAGRVM.

GIldardus præſul, fraterque Medardus, eodem
Venere ad vitæ lumina fauſta, die.
Luceque vterque fuit ſacratus Epiſcopus vna,
Lux dedit Empyreas vnaque vtrique domos.
Fratribus inuenias quidnam felicius iſtis,
Vna quibus vitam lux, decus, aſtra dedit?

DE

DE EISDEM,

Vna die natis, vnàque in Cœlum ingreſſis.

MOrtalem ad vitam fratres venere gemelli,
Atque aſcenderunt Cœlica Regna ſimul;
Namque olim quos vna dies vitalibus auris
Tradidit, hos morti tradidit vna dies.
Imò, dies olim morti quos tradidit vna,
Hos pariter vitæ tradidit vna dies.

EVSTACHIVS, PRIVS PLACIDVS, NOBILIS ROMANVS.

Anagramma purum.

HIC PLVRA PASSVS:

SIC VISVS IN MVNDO ALTER IOB.

Quod Anagramma metricum eſſe poteſt, vt in ſequenti Epigrammate *videre eſt*.

VXore amiſſa Euſtachius, natiſque, opibuſque,
Inuicto ſemper robore cuncta tulit.
VISVS HIC IN MVNDO SIC, PASSVS PLVRA, IOB ALTER:
Attollat felix Iob quoque Roma ſuum.

DE

DE SANCTO IVLIANO MARTYRE,

Qui cum ita podagra premeretur, vt neque ſtare poſſet, neque incedere, in ſella geſtatus, Iudicique oblatus fuit; firmuſque in fidei confeſſione perſiſtens, igni traditus eſt.

CVm, nec ſtare, gradum poſſet nec ferre (podagræ
Tam rigida Martyr compede vinctus erat)
Geſtatus ſella fuit, oblatuſque Tyranno,
Atque fide conſtans, ſidera lætus adjt.
Ergo licet podager, firmus ſtetit ille, ſuumque
In Cœlum podager rite peregit iter.

SANCTVS VENANTIVS CAMERS.

Anagramma. *r, in d.*

ADSVM, ENATVS SANE CVNCTIS

In Anagramma.

Ex verbis, quibus Oratio *in ipſius honorem, concluditur*: Concede propitius, vt à lapſu mentis, & corporis, eo mereamur protegente eripi, te liberante ſaluari, &c.

NObis, heu, cunctis obnoxia vita periclis:
Ad lapſum cuncti tendimus, heu, miſeri.
Protinus optatam dat opem Venantius: ergo
Hunc natum quis non omnibus eſſe videt?

DE

DE SANCTO ANDEOLO

Qui ſub SEVERO Imp.

Enſe ligneo, in quatuor partes inſtar crucis, capite conſciſſus eſt.

QVattuor in partes, Crucis inſtar, ligneus enſis
Conſtanti Andeolo diuidit ecce caput.
Aſpicis? hic quamuis ligno Crucis haud moriatur,
Attamen huic lignum dat Cruce poſſe mori.

De Sancto QVIRINO EPISCOPO Siſcienſi,

Qui pro fide Catholica ſub GALERIO *præſide molari ſaxo ad collum ligato in flumen præcipitatus fuit: ſed lapide ſupernatante, cum diù circumſtantes Chriſtianos in fide corroboraſſet, Martyrij coronæ cupidus, precibus, à Deo, vt mergeretur, obtinuit.*

QVoad placet, in ſummo ſtabilis manet amne Quirinus
Namque nihil ſaxum membra molare grauat.
Ni inſtaret precibus, nunquam raperetur ab amne;
Sed palmæ cupidus poſcit in amne mori.
Hunc quicumque vides ſtabilem cum pondere in vnda,
Prodigium in Petro dixeris eſſe minus.

In idem argumentum.

Epigramma clariùs, & argutiùs concluſum.

INgenti ſaxo appoſito, non Præſul, in amnem,
Sorbetur rapidis, præcipitatus, aquis.
Firmus perſtat aquis, ſaxo ſuper amne natante,
Hortaturque ſuos, conſolidatque fide.
Prodigium quondam magnum quis deneget, vndam
Inſtabilem, ſtabilem ſuſtinuiſſe Petrum?
Præſule ſed firmo, ſaxoque natante molari,
Prodigium maius cernitur, imò duplex.

DE EODEM S. QVIRINO

In idem argumentum.

ASpice, quàm ſtabilis, tutuſque, diùque Quirinus,
Vel ſaxi adiuncto pondere, ſiſtit aquis.
Sed procul à portu tædet iam viuere Cœli:
Exoptat mortem, mergier amne rogat.
Quiſquis amat portum, venti, inquit, adeſte ſecundi;
Dum cupit hic portum, denique mergar, ait.

In honorem S. EDMVNDI Epiſcopi Cantuarienſis, cuius cilicium in ignem iniectum

Exuri minimè potuit.

ASpera, quæ pauido ſpectata eſt veſtis in igne,
Quæ victrix domito veſtis ab igne redit,

Texe-

Texerat Edmundi corpus, Veneriſque furores
Preſſerat ardentes, præualidoſque rogos.
Quæ flammas tantas ſuperauerat ante, minores,
Haud mirum, ſi poſt vicerit illa focos.

De Sancta CÆCILIA Virgine, & Mart.

Quæ cantantibus organis, vt Eccleſia *ait, in corde ſuo, ſoli Domino decantabat, dicens*:

Fiat, Domine, cor meum, & corpus meum immaculatum, &c.

ORgana dum reſonant, tacito ſub pectore fundit
Cæcilia hæc Sponſo cantica grata ſuo.
Cor mihi, Chriſte, tuo ſemper candore niteſcat,
Et corpus ſemper ſit mihi labe procul.
Hæc fundit tacito ſub pectore cantica, Sponſo
Quæ tamen organicis ſunt mage clara ſonis.

De Sancta CATHARINA Virgine, & Mart.

Qua orante, confracta Rota, crebris, & acutis præfixa gladijs, in qua MAXIMINI iuſſu, fuerat impoſita.

SPonſi in amore ſui conſtans Catharina, fideque
Præfixa gladijs iuſſa perire Rota.
At Rota fracta breui Catharina orante; ruenſque
Non hanc, Carnifices ſed Rota fracta necat.
Prodigio attonitus tanto, iubet illicò Cæſar
Abſcindi intrepidæ Virginis enſe caput;

Sed furor illuſus, feritaſque illuſa Tyranni,
Enſe vno, haud multis, dum Catharina perit.

De Sancta EVPHEMIA Virgine, & Mart.

Quæ apud Chalcedonem PRISCO *proconſule, poſt multa ſuperata ſupplicia, rurſùs in theatrum adducta, beſtijſque expoſita, cum Deum rogaſſet, vt iam ſpiritum ſuum ſuſciperet, earum vna, cęteris pedes eius lambentibus, morſum infigente, interijt.*

Ex Martyrologio Romano, 16. Septembris.

AD PRISCVM.

IAm flagra, iamque rotas Euphemia vicit, & ignes,
Et pœnas alias, barbare Priſce, tuas.
Artibns at magicis adſcribis cuncta, tuoque
Obijcitur iuſſu dilanianda feris.
Exoptat Virgo mortem, mortemque precatur:
Audit vota Deus, votaque morte beat.
Ergo pedes, reliquæ poſita feritate, verendos
Dum lambunt, morſu hæc vnius icta perit.
Hoc tribues arti, qua nunc ratione, Magiæ?
Ecce, feris reliquis mitibus, vna necat.

De

De Sanctis IVSTO, & PASTORE Fratribus;

Qui cum adhùc pueri litteris imbuerentur, proiectis in Schola tabulis ad Martyrium cucurrerunt.

PRæſidis audierant Pueri vix iuſſa, cruore
Chriſtiadum, vt ſæua cęde maderet humus,
Cùm liquere Scholas, &, quis de more ferebant,
Abiectis tabulis, oppetiere necem.
Diſcite: non ſolis ſtudijs ſapientia manat:
Abiectis tabulis, hos didiciſſe, patet.

DE IISDEM SS. FRATRIBVS,

Quorum genuum, manuumque veſtigia

Viſa ſunt in lapide, ſuper quo decollati fuerunt.

INtrepidos audit Pueros dum verbera Præſes
Crebra pati, abſcindi lactea colla iubet.
Protinus inflexis genibus, manibuſque tenellis
Subiectus, mollis cernitur eſſe lapis.
Hic ego non miror, ſi cor riget vſque Tyranni:
Cui feritas eſt, cor durius eſt lapide.

SANCTI IVSTVS, ET PASTOR FRATRES.

Anagrammata II.

I. SVNT PVERI; AT SATIS ACRES, FORTES. *t, in e.*
II. ACTA STVPES? ORTI FVERANT ASTRIS. *s, ina.*

In Anagramma I.

AD ZOILVM.

VIx Anagramma legis, ducis cum, *Zoile*, vultum,
Atque ais: hi FORTES quomodo, ſi PVERI?
Accipe: ſunt PVERI, numeres ſi, Zoile, tempus;
Sunt FORTES, animos, Zoile, ſi repures.

In Anagramma II.

IVſtus adhùc tenera, Paſtorque ætate virebant,
Nonus enim huic, illi ſeptimus annus erat,
Cum fera riſerunt minitantis iuſſa Tyranni,
Et prompta horriſonis membra dedere flagris,
Terrificeque hilares colla obiecere ſecuri,
Firmarent proprio vt ſanguine teſte fidem.
ACTA STVPES? ORTI FVERANT (quid ſuſpicis?)
ASTRIS:
Vel pueri, orti aſtris, non niſi magna gerunt.

In honorem Sanctorum Fratrum Martyrum:

ALPHII, PHILADELPHI, CYRINI.

Ad TERTYLLVM Præſidem, qui eos deuinciri ſæpe iuſſit.

GErmanos, Chriſti deuinctos ſemper amore,
Vt ſoluas, quidnam, Præſes inique, facis?
Nunc pedibus vinctis ſuſpendis, nuncque per vrbem
Raptari totam membra reuincta iubes.
Nunc & in obſcuro, fœdoque in carcere, vinclis
Inſontes ſtringis, compedibuſque premis.
Stulte; Deo fratres tua nunc mage vincula iungunt:
Hos meliùs, dum vis ſoluere, ſtulte, ligas.

Ad eumdem TERTYLLVM Præſidem,

In idem argumentum.

QVid fratrum toties arctas, fere, corpora vinclis.
Si neſcis, fratres vincla iterata iuuant.
Perge, age; colla, manus, & crura, pedeſque reuinci:
Iſta Deo fratres nunc mage vincla ligant.
Fortiùs adſtringunt cum Chriſto vincla fideles:
Quid facis, ò demens? te bene vincla decent.

 De

De iiſdem Sanctis Fratribus
ALPHIO, PHILADELPHO, CYRINO,

Qui poſt multarum pœnarum perpeſſionem, iugo, quaſi bellua, aggrauati, iuſſu TERTYLLI, *miſſi Leontinos fuerunt.*

Viderat appenſos lux crinibus integra fratres,
Et ſaxis atrox fregerat ora manus,
Carceris & fædi ſqualor vexarat, & horror,
Vipereis fuerant membraque cæſa flagris;
Milleque pertulerant conſtantia pectora pœnas,
Cum ſubiecta graui colla fuere iugo.
Tu, Tertylle ferox, humani pectoris expers,
Ferre iugum, factus bellua, dignus eras.

DE EISDEM.

Cum alluſione ad BENEDICTAM *eorumdem Matrem.*

Ecce Roſæ veluti conſperſi ſanguine: tellus
Has dare non poterat, ni *benedicta* Roſas.

DE EISDEM.

Cum eadem alluſione.

Ne mihi quis iactet Pæſtana Roſaria, tellus
Dum mihi tam pulchras, dat *benedicta* Roſas.

AD

AD EOSDEM;

Quorum Parentes nobilitate,ac pietate præclari

Epigramma ſine verbis.

Romæ, ſub eorum effigie in æs olim inciſum.

VItalis, genitor veſter, Benediætaque mater,
Vaſconici, ò fratres, gloria magna Soli.
Illi non tantùm celebrando nomine clari,
Sed genere illuſtres; at pietate magis.
Nunc vobis, ipſis coram genitoribus,inter
Vrbis cœleſtis, palma, corona,choros.
Tantorum Soboles ſi vos tam clara Parentum,
Non mirum: fructus, dum bona ligna, boni.

DE S. ALPHIO,

In cuius nomine LAPIS continetur.

H, V, ſi remoues Alphj de Nomine, eodem,
Hic *lapis* apparet, Nomine teſte ſuo.
At quid ego hic nugor? qui dicitur Alphius, eſſe
Hunc *lapidem*, in pœnis mens bene firma notat.

DE SANCTO CYRINO,

Quem in ſartagine TERTYLLVS frigi iuſſit.

FRigitur, & Chriſti conflagrat amore Cyrinus:
Dic: oleum feruet, ſed mage feruet amor.

DE EODEM S. CYRINO,

In idem argumentum,

AD TERTYLLVM.

CVr oleo (inſanis Præſes) nunc membra Cyrini
Perfundis? luctæ hic aptior, vnctus, erit.

DE EODEM,

In idem,

AD EVMDEM.

Ex illo:

Oleum, ac operam perdere.

COnſtantis Pueri dum frigis membra Cyrini,
Verè oleum, ac operam perdis, inique, tuam.

Sanctus IACOBVS Perſa, dictus, interciſus,

Qui priùs thus idolis obtulerat, ſed poſteà factum execrans, ISDEGERDIS Regis iuſſu, membratim conciſus eſt,

Sic in tormentis locutus acerbiſſimis.

POenitet: ah, pœnæ nunquam formidine, verum
Læſiſſem Numen, Numina falſa colens.

O priùs

O prius innumeris tormentis membra fuiſſent,
O priùs horribili diſcruciata nece.
Nunc mihi iure manus præcidite, iure, tyranni;
Impleta eſt manibùs thurea acerra meis.
Brachia truncentur, Dijs extollentia thura,
Truncenturque pedes, cruraque, genua, capùt.
His ego deflexis, pauidus ſimulacra Deorum,
Heu, colui: hoc tantum nex luat iſte nefas.
Corpore qui toto læſi venerabile Numen,
Me meritò toto corpore pœna premat.

Idem IACOBVS Perſa

Viti ſe comparans ita loquitur.

VItis ego infœcunda fui, euellendaque, fugi
Namque putatrices, luxurioſa, manus.
Luxurioſa igitur vitis nunc rite putetur,
Compenſetque moras vberiore mero.

IDEM

Membris omnibus amputatis, iam iam capite obtruncandus,

Ita Deum alloquitur.

VTraque ſecta manus, ſunt brachia ſecta, pedeſque;
Et crura, & coxæ, totaque aperta domus.
Iamque anima egreditur; domus hæc, Deus, ecce procũbit,
Corporea: ò, animæ ſit ſuper aſtra locus.

SANCTVS PANTALEON MEDICVS; AC MARTYR,

PATRIA NICOMEDIENSIS.

Anagramma purum.

O INCLYTE CVRANS CVNCTOS! APPRIME SANAS ETIAM REDDIT ANIMAS.

In Anagramma.

Ex aquis, quæ ipſius MARTYRIS *feſto die, eiuſdem reliquijs conſecratæ,*

Romæ à Patribus Scholarum Piarum

confluenti populo miniſtrantur.

Liminibus ſuccede ſacris, qui febribus ardes:
Pantaleon miras hic tibi præbet aquas.
His bibe promptus aquas: felix, ſi ſumpſeris; æſtum
Sedabunt, æſtum corporis, æſtum animæ.
Inclytè enim Medicus cœleſtis curat hic omnes:
Pantaleonis aquis, integra, vera ſalus.

DE

DE EODEM DIVO PANTALEONE,

Qui paralytici manu apprehenſa,

eum ſanitati ſtatim reddidit.

QVod tacta dextra, tremor eſt cui corpore toto,
Pantaleon ſanet, Maximiane, ſtupes.
Turba ſacerdotum, cœtus miratur & omnis;
Et ſtupidos animos maxima cauſa facit.
Exoritur tactu medicorum notio morbi;
Tangente exoritur Pantaleone, ſalus:

THEOPHILVS conuerſus ad CHRISTVM

ob mirabile Roſarum munus à DOROTHEA miſſum per Angelum, Martyrij pœnas tolerans, hæc verba profundit.

DOrotheæ precibus Cęli mihi miſsa viretis,
Tempore brumali munera verna, Roſæ,
O quàm pulchra, mihi quàm grata, Theophilus inquit.
His Pęſtum nil par, Hybla, & Hymettus habet;
Iam, iam cuncta mihi ſordent terrena vireta;
Dent mihi ſola Roſis celſa vireta frui.
Hæc dicens, fundit, laceratus membra, cruorem;
Sic tolerat ſpinas, ſumat vt inde Roſas.

De

De Sancto LVPO EPISCOPO Trecenſi;
qui aſsiduis ad Deum precibus
à furore Regis ATTILAE Ciuitatem defendit.

Ex dicto illo apud Cic. 3.Philipp. *cum irriſione vſurpato*: O præclarum custòdem ouium, vt aiunt, lupum.

Horrida diuini, Rex Attila, dextra furoris,
Iam iam mactaſſet dirus ouile Dei,
Ni Lupus antiſtes, precibus, bene prouidus, inſtans;
Cauiſset pauido proxima damna gregi.
Præclarum Cuſtodem ouium nunc iure canendum,
(Hic nulla irrident ora) fuiſse *Lupum*.

DE EODEM.
in idem Argumentum.

Grex timet: at precibus reſerans Lupus ora, furentis
Hunnorum Regis damna cruenta fugat.
Grex felix; mihi nunc lepidè fas dicere: ſi quis
Ingruit horror, oues, currite ad ora Lupi.

De Sancto SATVRNINO EPISCOPO Toloſano.

Qui Toloſę à paganis comprehenſus, atque à ſumma eiuſdem Vrbis Capitolij arce, per omnes gradus præcipitatus, Martyrij coronam adeptus eſt.

AD PAGANOS.

PEr ſummæ, fera turba, gradus, quid profuit, arcis
Deturbaſse virum? vel ſic aſcendere nouit.
Nam Saturninus, Chriſti pro lege tuenda,
Præceps, ſublimi Capitolj ex arce Toloſæ,
Dum ruit, inde decus celſum, palmamq; reportans
Martyrij, victor, Cęli Capitolia ſcandit.

DE EODEM.

in idem argumentum.

EN Saturninus, præceps deiectus ab arce,
In Cælum, toto corpore fractus, abit.
Sic deſcendendo aſcendit; ceu ſurgere in altum,
Delapſa ex alto, flumina fracta ſolent.

Digitized by Google

AD S. CAROLVM BORROMÆVM CARD.

maximas inter diuitias pauperrimè viuentem.

TE mage quis diues, pauperque eſt, Carole? ſummas
Inter diuitias pauper es ipse nimis.
Tantùm pane fames tibi pellitur, & ſitis vnda:
In palea, in tabula, membraue ſternis humi.
Paupertatis amor quantus tibi, Carole! diſpar
A cane non victu es; ceu canis vſque iaces.

DE EODEM S. CAROLO.

Qui impudicas mulieres ad eius candorem deturpandum ſæpe immiſſas fugauit,

& ignitis ſclopi globulis percuſſus, eſt ſeruatus illæſus.

HAud ſemel in Carolum lethalia tela vibrauit
Idalius, mira qui ferit arte, puer.
Ille ſed impuri non vnquam læſus Amoris
Cuſpide, cui ſemper pectore caſtus Amor,
Ignitis etiam globulis fuit irritus ictus,
Quos ſclopo exploſit dextra ſceleſta viri.
Quid mirare magis? quod vir haud læſerit illum?
Plus ego, quod puer haud læſerit, obſtupeo.

DE

Digitized by Google

DE DIVO THOMA DE VILLANOVA.

Archiepiſcopo Vrbis Valentiæ.

Epigtamma,

Ex eo, quod in ipſius vita legitur,

Horreum videlicet, tritico in pauperes ab eodem erogato, penitus vacuum, cæleſti fænore plenius repertum.

FRumenti diues, turbæ vacuatus egenæ,
Plenior inuentus, diuitiorque locus.
Munifici Thomæ OEconomus miratus, & omnes
Serui ſpectantes obſtupuere ſimul.
Quiſquis es, es felix, fortunatuſque, cateruas,
Inſtar Thomæ, inopum dum reuelare ſtudes.
Quæ das pauperibus, non perdis; ſemina fiunt,
Semina, prouentu quæ vberiore beant.

De Sancto IVSTO Epiſcopo,

& Sancto VIATORE eius Lectore,

Qui in eremum AEgypti ſeceſſerunt, ibique ſanctiſsimè vixerunt.

Ad vtriuſque Nomen alluditur.

ÆGYpti petijt nigros receſsus
Iuſtus, conſpicui gradus honore

Cla-

Clarus præſulis: hic peregit æuum,
Per rectas gradiens vias ad aſtra.
Et Iuſtum bene moribus Viator
Expreſsit paribus, comes fidelis,
Iuſtis moribus, æquitate vitæ.
IVSTVS ſic igitur fuit VIATOR
Scandens aſtra, VIATOR aſtra, IVSTVS.

De Lectore quodam,

Qui cum die Paſchæ in pulpito caneret Alleluia, *vt* Martyrologium Romanum *meminit*, *ſagitta in gutture transfixus eſt*.

ÆDE canens ſacra, transfixus guttura, telo,
Protinus ad Cęli gaudia Lector abit;
Lætè vbi concentum ſequitur deducere cantus,
Cui nullo, nullo tempore finis erit.
O mors fauſta! canens Lector perit, atque canendo
Aduolat ad Superos, ſemper vt ille canat.
Sic non, iucundæ dulcis modulatio vocis
Morte interrupta eſt; morte perenne ſonat.

Idem

Idem Epigramma.

Carminibus Sapphicis expoſitum.

CVM die Paſchæ, modulis canoris
Lector ex Templi reſonat cathedra,
Vibrat in guttur, trucis Ariani
Dextra telum.
Ilicet lætus volat hic ad aſtra,
Inter & gaudet ſuperas cohortes
Mixtus, æterno ſociatque cantu
Gaudia Cæli.
Fauſta mors! Lector moritur canendo;
Fauſta mors! Lector petit aſtra cantu;
Martyr ò felix, reſonare in omne
Cui datur æuum.
Morte non finis poſitus canenti:
Morte non finis modulis ſtatutus;
Quin pij facti moduli, ſequente
Morte, perennes.

De Sancto CRESCENTIO puero Sancti EVTHYMII filio,

Qui Romæ ſub iudice TVRPILIO capite truncatus.

Ad Nomen fit alluſio.

NObilis Euthymij proles Creſcentius, enſi
Porrigit intrepidus fortia colla puer.
Attonitus truncat miles: Creſcentius ecce
Ceruice abſciſsa, ſanguine ſpargit humum.

Barbare Turpili, qui vel corpuſcula mactas:
    Barbare, qui natos penè, perire iubes.
Heu feritas! puer incepit vix creſcere, quando
    Impia dextra ſacrum meſſuit enſe caput.
Quid tamen impietas prodeſt? Creſcentius vſque
    Creſcit, & aſcenſu fertur ad aſtra ſuo!
Maius habet, cæſus Creſcentius incrementum:
    Non obtruncatus creuerat iſte minus.

De Puero
Mulieris Chriſtianæ filio,

Qui cum balbutiendo (erat enim quinquennis) Chriſtum confiteretur, nec blanditijs, nec minis retineri poſſet, in ignem, vbi pro Chriſti fide Mater ardebat, ſe præcipitem dedit, vt in Martyrologio Romano *habetur* 24. *Oct.*

BLanditiæ haud puerum, nec verba minacia flectunt;
    Haud exterretur, quo flagrat igne, Parens.
Balbutit Chriſtum, nam quinque tenerrimus annos
    Natus, adhuc meliùs promere verba nequit.
Hęſitat hic lingua, ſed corde interritus inſtat:
    Quis metus? in flammas protinus ecce ruit.

AD

Ad S. SOPHIAM Viduam, eiuſque filias VV. & MM.

FIDEM, SPEM, CHARITATEM.

Ad earum Nomina alluditur.

NÆ tibi ſumma fuit, Genitrix, ſapientia, quando
Terrea tu noſti ſpernere, celſa ſequi.
Inuictumque tibi pectus virtutibus almis,
O Soboles, forti nobilitata nece.
Docta quidem Genitrix, Soboles inuictaque: veſtris
Conſona Nominibus quàm bene facta patent.

De Sancta ROSALIA Virg. Panormitana,

Cui ad ſpeculum ſe componenti,

in ipſo ſpeculo Cruci CHRISTVS affixus apparuit.

ORnabat quo ſe ſpeculo Roſalia, vagaſque
Nectebat ſpeculo quo Roſalia comas,
Pendentem vidit venerando è ſtipite Chriſtum,
Quem ſenſit Virgo talia verba loqui.
Conſuetum ad ſpeculum te, Virgo, quid ampliùs ornas?
Subtrahe conſpectu iam, Roſalia, tuo.
In ſpeculum, ſpeculo tibi quod nunc offero, cerne;
Cum ſpeculo fies tu imago pulchra meo.

ROSA DE SANCTA MARIA,
VIRGO PERVANA, DE LIMA.

Anagramma purum.

RE VITA MIRANDA:
ERGO EI, ROMA, PLAVDAS, CANAS.

In Anagramma.

Mira quidem Roſa Limenſis, cui criminis vlla
Lethiferi nullo tempore ſpina fuit.
RE VITA MIRANDA Roſa eſt: ERGO inclyta PLAVDAS,
ROMA, & EI laudes obſtupefacta CANAS.
Mira quidem Roſa, Roma, canas: quis deneget? an non
Mira, vllo fuerit cum ſine ſente Roſa?

SOROR ROSA PERVANA, DE LIMA.

Anagramma. *a, in e.*

ALMO REVERA SPIRANS ODORE.

In Anagramma.

ALMO REVERA SPIRANS Roſa maiùs ODORE
Inda eſt, quam Chriſtò florida Lima dedit.
Iactes, Hybla roſas, Pæſtumque, & Hymette, quid vltra?
Inda magis, magis hæc fragrat odore Roſa.

Illæ

Illæ terreno, cœleſti hæc ſpirat odore:
Gratæ homini illę ſunt; hæc Roſa grata Deo eſt:

DE SANCTA IVLITA.

Quæ bona ſua (vt in Martyrologio Rom. *habetur his prorſus verbis) à quodam potente ſibi vſurpata, in iudicio repetens, cum ille exceptionem daret, quòd, vt Chriſtiana, non deberet audiri, mox à Iudice iuſſa eſt thus idolis offerre, vt poſſet audiri: quod illa conſtanter recuſans, in igne coniecta, ſpiritum Deo reddidit. Hęc ibi, die 30. menſis Iulij.*

DVM bona rapta petit Iulitta ab Iudice, praua
Hæc ſequitur Chriſti Dogmata, raptor ait.
Iuſſaque thure Deos venerári, lite repugnat
Contempta, & moriens ad bona celſa volat.
Maiora, amiſſa, bona ſunt data, lite: fuiſſet
Si litis victrix, vicerat illa minus.

Sanctum MOYSEN Æthiopem,

Qui ex inſigni latrone inſignis fuit Anachoreta, multoſque latrones conuertit, ſecumque duxit ad monaſterium, ſic eos allocutum, canit Auctor.

ex illo apud Matthæum, *cap.* x[i].
Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

LAtrones miſeri, quæ vos dementia vexat?
Vos vobis propria quæritis arte necem.

Cum necis obiectent toties vos furta periclis,
Ars tamen hæc vobis exitioſa placet?
Artem ego furandi, cupitis ſi noſcere, tutam
Oſtendam; latro ſum; me quoque furta iuuant.
Moſes ego, ò ſocij, quondam latro peſsimus; iſtis
Edidici latebris optimus eſse latro.
Ars mea quàm tuta eſt! non ars, necis, iſta, timorem,
Æternæ at vitæ maxima lucra parit.
Cœli auidus, Cęlum furari conor; & hic ſum,
Nam ſacer, eſt Cœlo proximus iſte locus.
Niſibus hic totis ad celſa Palatia tendo;
Per valida ad Cœlum, atque ardua facta feror.
Vim patitur Cęlum, ò ſocij, violentaque Cęlum
Dextra rapit; Cęlum, qui violentus, habet.

De Sancto SIMEONE Monacho,

Qui multos vixit annos, ſtans in columna, vnde Stylita *dictus.*

AD D. IOANNEM BAPTISTAM A S. PVDENTIANA, Congregat. Ref. S. Bernardi,

olim Auctoris Auditorem.

IOannes Baptiſta, fugax, oſorque bonorum
Labilium, firmis vt potiare bonis;
Cernis, vt erecta Simeon ceruice, columnæ
Culmine ſtat, pluuijs, expoſituſque notis?
Ille animo excelſus, terram indignatus, ad aſtra
Seſe ſublimem, natus ad aſtra, vehit.

Diuus

Diuus BERNARDVS Abbas,

Qui mortuus inter DEIPARAE Aſſumptæ Octauam ſic eam alloquitur:

ex illo Cant. Cantic. *cap.* 1.

Trahe me: poſt te curremus in odorem.

eique ita VIRGO reſpondet,

ex alluſione ad Nomen.

ME trahe, Virgo, tuum curram, Roſa pulchra, in odorẽ:
Bernardus, Mariæ captus amore, canit.
Cui Virgo; Bernarde, veni, Nardus bona: Nardus
Tu mihi grata, tibi grata ego ſi Roſa ſum.

SERAPHICVS PATER FRANCISCVS

Anagramma.

FACTIS CEV CHRISTVS APPARENS.

In Anagrãma, in quo poſitum T, remotum R.

R, ſtrepitus, iras, fera, tetra, horrentia ſignat:
Dicitur hinc nobis iure caniña nota.
T, ſignum Crucis eſt; patet ars Anagrammate, Lector,
In quo T poſitum eſt, R procul eſſe vides.

Namque Crucem amplexus Franciſcus, iuſſit atroces
Irati furias pectoris eſſe procul.

IDEM SERAPHICVS PATER

cum ſtigmatibus, imagine pulcherrima expreſsus,

ita inſpectorem alloquitur.

QVifquis es, in noſtro qui corpore vulnera cernis,
Te, Chriſto ſimilis fallat imago, caue.
Non ego ſum Chriſtus, Chriſti ſed fidus amator
Franciſcus: Chriſtus non ego, non ego ſum.
Non mihi dextra, manus, fodit truculenta, pedeſque,
Nec mihi Longini barbara dextra, latus:
Non hæc, ſæua manus, non hæc mihi vulnera fecit;
Hæc mihi diuina vulnera facta manu.
Longiùs vt claudi renuens cœleſtis Amoris
Feruor, ad egreſsus ſic reperiret iter.
Non ſatis os, æſtu exclamans, oculique madentes:
Addita ſunt iſtis, oſtia quinque, tribus.
O mea quàm Chriſti, quàm feruida viſcera Amore!
Feruori egreſsus, octo dedere fores.

In eiuſdem S. FRANCISCI honorem

Vide quoque V. Anagrammata, *apud hunc Authorem in* Anagrammaton *libello.*

ANTO-

ANTONIVS LVSITANVS, DICTVS DE PADVA,

RELIGIONIS PATRVM MINORVM.

Anagramma purum.

VIR DIVINVS, MAGNVS MIRACVLIS,

TOTO MVNDO LATE NITIDVS APPARENS.

In Anagramma.

Ex ipſius Effigie, dextera tenentis Deum.

QVæris, tàm mirus cur toto Antonius Orbe?
Cuncta poteſt: dextra continet ille Deum.

Ad Sanctum PETRVM NOLASCO, Fundatorem Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum,

cui in cunabulis vagienti examen apum in dextera fauum mellis conſtruxit.

AMbroſio, Hyblæas volucres ſediſse labellis,
Sed tibi, Petre, manu mellificaſsę ferunt.
Dulce illi eloquium præſignauere, tuamque
Captiuis placidam prædocuere manum,

Optimus

Optimus augurij iudex vtriuſque, ſecundum
Grandius augurium, nobiliuſque vocet:
Nobilius tantòque canat, ſermonibus acta
Quantò, expreſſa manu, nobiliora patent.

SANCTVS IGNATIVS LOYOLA

Societatis IESV Fundator

Hebræum pertinacem, ISAC nomine, ne diutiùs per prauas Hebræorum vias, pergeret ad Inferos, retinuit his verbis ſolùm:

Mane nobiſcum Iſac,

Hoc prodigium ab Auctore IOSVE prodigio maius oſtenditur, cuius verbis ſtetit ſol, hiſce videlicet:

Sol, ne mouearis contra Gabaon.

PRotinus abſtinuit Sol currere, Ioſue quando,
Sol, contra Gabaon ne mouearis, ait.
Dumque *mane*, dixit, *nobiſcum*, Ignatius, *Iſac*,
Protinus à curſu deſtitit ille ſuo.
Atque fide immotus, non, vt Iudæa propago,
Horrentis Barathri ſub loca terra ruit.
Qui legis hæc, quę mira magis miracula cenſes?
Perpaucis verbis illicò vterque ſtetit.
Quòd ſteterit Sol, ipſe magis mirabere forſan;
Iſac quòd ſteterit, res mihi mira magis.
Sol ſtetit, inde breui, tamen occidit ille, recurrens:
Stans Iſac ſemper, neſcijt occidere.

SAN-

SANCTVS PHILIPPVS NERIVS

Congregationis Oratorij Fundator

dicere ſolitus : nihil ſibi in terris placere : idque vnum ſibi placere, quod nihil ſibi placeret.

NIL placet in terris : in terris nil placet ? vnum hoc,
Hoc vnum placet hic, quòd mihi nil placet hic.
Sic fatur Nerius, Paradiſi incenſus amore :
Sordeſcit tellus, cui, Paradiſus, amor.

DE EODEM,

Cuius cor tanto diuini Amoris æſtuabat ardore, vt cum intra fines ſuos contineri non poſſet, illius ſinum, confractis, atque elatis duabus coſtulis, Dominus ampliauerit, vt habetur in ipſius Vita.

DÆmona belligerum, Mundum, ſenſumque domarat
In Nerij feruens pectore diuus Amor.
Diuino pectus Nerij flagrabat Amore ;
Cor Nerij ſacris ignibus ignis erat ;
Cor ſemper ſaliebat amans, adeòque, teneri
Vt quondam ſolitis finibus impatiens,
Motibus increſcens, coſtas effregerit, vt ſic
Poſſet Amor ſpatio liberiore frui.
Imò Arcus mira Cor extulit arte, per Arcus
Victor vt ad plauſus egrederetur Amor.

Digitized by Google

MVSÆ ANCONITANÆ SIVE CAROLI. A S. ANTONIO PATAVINO, ANCONITANI, EX PATRIBVS SCHOLARVM PIARVM.

EPIGRAMMATON LIBER SECVNDVS.

MORALIVM.

OBELISCVS AVRELII ANTONINI CARACALLÆ IMP.

Romæ in Circo Agonali erectus
Iuſsu INNOCENTII X. Pont. Max.

oſtenditur Mortalitatis, & Immortalitatis
repræſentatio.

HIC, vbi læta ſuper, petit aſtra Columba, Obeliſco,
Quattuor & ſubter flumina vaſta fluunt,
Spectabatur Agon: mentem erige, grandia volue,
Attonitus qui tam nobile cernis Opus.

Saxa vetuſta notant, & lubrica flumina, Mortem:
(Vità hominum properæ labitur inſtar aquæ)
Ipſam ſignat Agon Mortem quoque: Iuſtus at vnus
Mortis victor abit; celſa Columba docet.
Quæ bene cum ramo: Mortis conamine fracto,
Cum palma victor Iuſtus ad aſtra volat.

In dictum:

Mors ad Cœlos iter,

quod Romæ legitur

In Templo S. MARIÆ de Populo,

in lapide ſepulchrali CHISIORVM, ſub imagine Mortis gerentis vexillum, in quo ipſorum Stemma inſpicitur,

VIuere, militia eſt: bene qui certauerit, illi
Mors iter ad Cœlos eſt, vbi victor ouet.

De Morte ipſa vexillum geſtante.

QVorum animis *iter ad Cœlos Mors* optima pandit,
Corpora, ſtemma agitans, obſequioſa colit.

De Cœlo,

QVàm mihi iucundum eſt ad Cœlum attollere luces:
Quàm vaſtum Cœlum eſt! ſidera quanta capit!
O, mihi

O, mihi ſpectanti Cœlum, quàm ſordida terra,
Cum terra maior ſit quoque ſtella minor.

AMOR SANCTVS.

Anagramma purum.

ex illo, quod in Canticis *habetur*:

Fortis eſt vt mors, dilectio.

CANAS: VT MORS.

In Anagramma.

QVid ſanctus non poſsit Amor? Mors, fortis, vt ipſa:
Omnia vincit Mors; omnia vincit Amor.

De LOTHI Vxore
in ſtatuam ſalis conuerſa.

IN ſtatuam cur verſa ſalis Loth mobilis vxor?
Vt ſal inſulſis mentibus illa foret.

Quis vxori LOTHI ſimilis ſit.

LOth miſeræ vxori ſimilis, quiſquis male viuit,
Rectè alioſque docet; non ſibi, ſal alijs.

Mors olim Sors.

Ad Eminentiſsimum Principem

IACOBVM FRANSONVM.

S. R. E. CARD.

MAxima turritæ Philomuſus gloria Senæ,
Sublimi quondam carmine quæ cecinit,
Rurſus lethiferæ redierunt tempora labis,
Quæ rurſus miſeram polluit Italiam.
Parthenope in primis teſtatur, Romaque ſumme
Iacobe, & patriæ limina mœſta tuæ.
Heu, lacrymanda nimis primorum noxa parentum:
Intulit hæc Mortem, cunctaque damna tulit.
Non erat in terris Mors regnatura, nec ipſum
Horriferum Mortis nomen in Orbe foret.
Omnia felici curſu, Sors læta beaſſet;
Duraſset ſemper neſcia vita mori,
Ni malo aſſumpto, ſpreuiſset iuſsa ſuperni
Numinis, vna cum coniuge læua Parensi.
Cunctorum incubuit terris tunc turba malorum,
Et Sors in Mortem verſa repente fuit.
Quæ nunc *Mors*, *Sors* antè fuit; mutauit at vnam
In propriam, malum, Mortis origo, notam.

Primo

Primo carmine, Philomuſi *Nomine ſignificatur* Fabius Chiſius *Senenſis, qui poſtea* Summus Pont. ALEXANDER VII. *appellatus, qui in Libello inſcripto*: Philomathi Muſæ Iuueniles, *agit de peſte, Italiam populata*, 1630. *In cuius Libelli laudem vide Epigramma libro ſequenti*.

ANIMA IVSTI

Hortus floridus.

ex dicto D. Pauli *ad Corinthios*:

Chriſti bonus odor ſumus.

Ad Illuſtriſsimum, & Reuerendiſsimum D.

D. FERDINANDVM FVRSTENBERGIVM.

Epiſcopum Paderbornenſem.

IVſti anima, vt varijs fragrans bene floribus hortus:
Quàm gratis totus floribus hortus olet!
Hic roſa diuini ſpulcherrima floret Amoris;
Candoris ſacri hic lilia celſa virent.
Hic molles fundit violas Patientia; flores
Atque hic, Virtutum copia, mille parit.
Empyreæ hos mulcent auræ, Zephirique ſuperni,
Et Sol diuinus firmat, & imber alit.

Vere hic perpetuo ſunt florida cuncta, perenne
Nam Paradiſiacis cuncta rigantur aquis.
Quam, Fernande, halat, magne ò pietatis amator,
Hortus hic! hic graditur captus odore, Deus.

DE NAVICVLA,

Quæ operiebatur fluctibus, *apud Matth. cap. 8.*

AD AD. R. P. IOSEPHVM
A S. EVSTACHIO

Piſaurenſem, ex Patribus Scholarum Piarum,

Aſsiſtentem Generalem.

IOſeph, bacchantur venti; bacchantur & vndæ,
Diductique maris iam pauet ima ratis,
Cum Deus, ecce Deus ventos iubet, & iubet vndas
Siſtere: mox preſſa ſeditione ſilent.
Cui tamen, & venti parent, vndæque iubenti,
Haud hominum paret turba ſuperba, Deo.

De Animabus prauis.

ex D. Auguſtini *dicto*:

Inquietum eſt cor noſtrum, donec re-
quieſcat in te,

QVæque petunt proprium Oceanum ſi flumina, prauæ,
Ah, proprium Oceanum cur fugiunt animæ?

Ocea-

Oceanus Deus eſt, animæ ſunt flumina? cur non
Oceanum proprium flumina cuncta petunt?
Haud igitur mirum, Ioſeph ſi flumina multa
Turbida decurrunt, ſi irrequieta fluunt.

De Animabus Purgatorij, & Inferorum, earumque pœnis.

In verba Iob, *cap.* 19.

Manus Domini tetigit me.

&'ex illis S. Pauli, *ad* Hebræos, *cap.* 10.

Horrendum eſt incidere in manus Dei viuētis.

AD AD. R. P. ANGELVM A S. DOMINICO,

Lucenſem, ex Patribus Scholarum Piarum.

olim Aſsiſtentem generalem.

SPiritus incluſus tenebroſo carcere, vindex
Quo purgat meritis, crimina, pœna rogis,
Quàm bene, me Domini tetigit manus, Angele, clamat;
Nec potiùs: Domini me tetigere manus.
Vltrix eſt Barathro, Domini manus vtraque; at vna
Purganti eſt vltrix, altera blanda, loco.
Quem Barathri non terror habet, quo vindicis ira,
Ira Dei, ſontes plectit vtraque manu?

De extremo Iudicio.

Ad eos, qui alienis bonis impinguantur,

QVantus, cum turbæ duodenæ occulta patebunt,
Iunctæ cum Chriſto iudice, terror erit!
O piſces, piſces magni, præpinguia quorum
Corpora nunc multo piſce minore tument,
Horrida quàm vobis fuerit nox illa ſuprema,
Qua Piſcatorum retia vos capient.

AD ALCIMVM SATVRNINVM,

Prædeſtinationis conſideratione turbatum.

QVid mihi fiet? ais. Quicquid vis, Alcime: in Orcum
Velle tuum trudet te, vel ad Aſtra feret.
Arbitrij tibi libertas: tibi libera mens eſt,
Siue malum malis, Alcime, ſiue bonum.
Orcus, ſi prauè; rectè ſi vixeris, Aſtra;
Alcime, recta igitur dilige, praua fuge.
Quid trepidas? patefacta tibi nunc porta ſalutis:
Vertitur in gemino hoc cardine noſtra ſalus.

De

De puero gemente, vix nato.

Ad clariſsimum Hiſtoriographum, & Vatem,

MICHAELEM ANGELVM LVALDVM.

VIX puer occiduæ vitæ eſt effuſus ad auras,
 Cum dolet, & tepido cum rigat imbre genas.
Imò prius lacrymis, quàm luci pandit ocellos:
 Heu, ſua quàm properè damna futura gemit.
Eua, & Adam dictis capti fallacibus, anguis,
 Communis, Michael Angele, cauſa mali.
Anne ſuo modulo, dum plorat, id explicat infans?
 Anne mali auctores voce gemente notat?
Audis? Euæ, & Adam (puer integra fundere verba
 Non potis) in gemitu ſyllaba prima ſonat.

In Verba Dauid, *ex pſalmo 38.*

Auribus percipe lacrymas meas.

AD R.P. F. IOANNEM MICHAELEM MAVRVM

ex Ordine Prædicatorum, Auctoris olim diſcipulum.

QVA ratione, *meas lacrymas*, Ieſsæia proles
 Auribus, exclamat, *percipe*, Maure, rogas.
Scilicet eſt lacrymę ſua vox: nam lacryma curæ
 Nuncia; lætitiæ nuncia nam lacryma eſt.

In

In verba Eiuſdem, *ex pſal.* 113:

Simulacra Gentium, argentum, & aurum.

AD R.P. MICHAELEM CAVAZZIVM

ex Clericis Minoritis, auditorem olim Auctoris.

ARgentum, atque aurum Gentis ſimulacra fuiſse
Antiquæ, Pſaltes perſonat Iſacides;
Sic quoque de cunctis, Michael, bene dicere poſsis,
Triſtis auaritiæ quos miſer angit amor.
Namquid auarus agit? nummos non tangit auarus:
Argentum, atque aurum, ceu ſimulacra, colit.

Ex verbis Pſalmi 118.

In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.

Ad Illuſtriſsimos Fratres, Auctoris quondam diſcipulos,

VALERIVM, & FRANCISCVM DE VALLE, Patritios Romanos.

ANtidoto pectus, ſapiens præmunit, ab hoſte
Toxica verſuto qui ſibi tecta cauet.
Sic ſua ne vobis noceat per toxica Dæmon,
Eloquia, ò Iuuenes, condite corde, Dei.

In

In illud Pſalmi *eiuſdem*.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.

ALma fides, verbum Chriſti, lumenque fides eſt:
Hæc, pulſis tenebris, clarat ad aſtra vias.
Ambulat in tenebris, hoc qui ſine lumine pergit:
Pergere inoffenſo non potis ille pede.
Fallitur hæreticus, qui pergere credit ad aſtra:
Lumine, quo poſsit pergere ad aſtra, caret.

In verba Pſalmi 125.

Ibant, & flebant, mittentes ſemina.

I*Bant, & flebant mittentes ſemina* quare?
Meſsis vt immiſsis, largior eſſet aquis.

Ænigma
ex illo Salomonis *dicto*:

Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.

DIC mihi: quis, pauper, moriens maiora relinquit,
Quàm, malè cui partas arca miniſtrat opes?

Pauper probus: *relinquit enim nomen bonum, &c.*

In ea Ieremiæ *verba* :

Pax, pax, & non erat pax.

AD D. IOSEPHVM De IVLIIS, Sulmonenſem.

Vatem egregium, Auctoris olim Diſcipulum.

P*Ax pax, & non pax* : facile *eſt* cognoſcere cauſam :
Bellum ſub pacis nomine ſæpe latet.
Sic oleum, pacem licèt indicet, attamen ignem,
Ioſeph, quo bellum ſignificatur, alit.

Ex illo D. Pauli, *ep. 2. ad Cor.*

Tamquam nihil habẽtes, & omnia poſſidentes.

Ad R. P. CAROLVM à S.BENEDICTO, Genuenſem,

ex Patribus Scholarum Piarum.

QVam diues, ſancto qui paupertatis amore,
Diuitias temnit, commoda, rura, domos.
Cum nihil hic habeat, fruitur tamen omnibus; idem
Paulus ait, cuius perſonat ore Deus.
Quando ſed hoc locuples vir, Carole, credet auarus,
Si, dum cuncta tenet, credit habere nihil?

Quis

Quis bene ſuperior, & quis bene ſubditus.

QVisnàm rite præeſt? qui prudens imperat: & quis
Rite ſubeſt? promptus qui data iuſſa facit.

PRÆDICATOR.

Anagrammata II.

I. APERIT CORDA. *purum.*
II. ARDEAT PRIOR. *c, in r.*

In Anagramma I.

ex dicto S. Pauli, *epiſt. ad Hebr.*

Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ.

SErmo Dei viuus, magis & penetrabilis omni
Ancipiti gladio: diuidit vſque animam.
CORDA APERIT quiſquis pia pandit, cœlica: teſtis
Feruida, de calidis quæ fluit vnda, oculis.

In Anagramma II.

ex dicto Ciceronis, *lib.* 2. *de Orat.*

Ardeat Orator, ſi Iudicem velit incendere.

ARdeat Orator, ſi vult incendere, clamat
Tullius: hoc clamat Nomine & ille ſuo.
ARDEAT ille PRIOR: prior ardeat ille, neceſse eſt:
Vt ligna incendant ligna, priora flagrant.

Verba PRÆDICATORIS GENTIVM
in ep. ad Gal.

Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus,

ſic exponuntur,
cum alluſione ad illa eiuſdem dicta:

Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.
Quis me liberabit de corpore mortis huius?

V*Iuo ego, non ego iam*: mors eſt mihi viuere terris;
Vita mihi eſt Chriſtus: *viuo ego, non ego iam*.
Viuo ego, non ego iam: ſum Paulus; Saulus at olim:
Non ſum, qui fueram: *viuo ego, non ego iam*.
Viuo ego, non ego iam: vita hæc, haud vita perennem
Optanti vitam: *viuo ego, non ego iam*.
Viuo ego, non ego iam: namquæ mihi vita retento
Mortali vita? *viuo ego, non ego iam*.

Epi-

Epigramma moraliter concluſum,

cum alluſione ad illud S. Pauli, *in ep. ad Galat. cap.* 5.

Currebatis bene: quis vos impediuit &c.

Ex tabula PAVSONIS pictoris,

Qui equum ſe voluntatem, vt Plutarchus *refert, iuſsus pingere, currentem exhibuit: cumque ille, qui opus præceperat, auerſaretur, inuerſa* P*AVSON ſolum tabula, ecce, inquit, habes ſe volutantem.*

IVſsus equum ſeſe voluentem pingere Pauſon,
Pictura Pauſon currere iuſsit equum.
Sed, tabula erecta qui viſus currere, voluit,
Inuerſa tabula, terga repente ſolo.
Quem mens recta regit, currit feliciter; hæc ſi
Vertitur, & curſor vertitur, atque iacet.

AD MAXIMVM

hominem improbiſsimum, liberum ſe putantem.

SVm liber, dicis; mentiris, Maxime; non es:
Te tua captiuum crimina quippe tenent.

Si

Si te forma capit, ſi vel ligat anulus vnus
Flexilis, è compto pendulus orbe comæ:
Si ſeruis auro, rerumque immenſa cupido
Si prohibet, dulci poſſe quiete frui:
Si domina ambitio eſt; odium ſi regnat, & ira;
Si timor excruciat, torquet, & inuidia;
Milleque ſi ſcelerum ſtringunt te, Maxime, nexus,
Quæ tibi libertas? liber vt eſse potes?
Dirumpenda, miſer, priùs hæc tibi vincla; ſolutus
Cum fueris vitijs, Maxime, liber eris,

I V D A S.

Anagramma purum.

A V D I S.

In Anagramma

ex ſignificatione nominis, IVDAS, & ex quinque vocibus ſequentibus, quibus capitales IVDAS litteras imponit.

Ieſum Venundat Diſcipulus Auarus Scribis.

Ad Patrem IOSEPHVM à CONCEPTIONE, Romanum, Religionis Paup. Matris Dei, Scholarum Piarum,
Auditorem olim Auctoris.

AVDIS: Quis loquitur? nihil audio, Carole, dicis,
Ioſeph: vox aures non ferit vlla meas.

AVDIS

AVDIS: verte animum, Ioſeph, *Confeſsio*, *Iudas*:
Secreta horriferum voce fatetur opus.
Ieſum Diſcipulus Scribis Venundat Auarus:
Sic Iudas, animum ſi bene vertis, ait.

IVDAS ISCHARIOTES.

Anagrammata III.

I. A IESV DICAR HOSTIS. *purum*.
II. IS, IS AVTHOR CÆDIS. *purum*.
III. HIC ODIO EST AVARIS. s, *in o*.

In Anagramma I.

A IESV, Iudas mendax Anagrammate, DICAR
HOSTIS, ait; ficte cui quoque dixit: aue.
Inſuper & ficte placido dedit oſcula vultu
Iudas, diuinis oſcula ficta genis.
Hoc mage quis mendax? ſigno eſt mentitus amoris,
Et vultu, & verbo, nomine & vſque ſuo.

In Anagramma II.

Ad Diuum PETRVM Apoſtolum.

IS, Petre, CÆDIS erat Chriſti, Petre, cedis IS AVTHOR:
Nouiſti; at ſerò noſcere, Petre, datum.
Si citò nouiſses, nimio feruore, ſecandum
Abs te equidem Iudam in fruſta fuiſſe, puto.

In Anagramma III.

VEnditor HIC ODIO EST cunctis inſanus AVARIS:
Cur? totum, nihili vendidit hic precio.

PILATVS.

Anagramma purum.

VT LAPIS.

Ad ſapientiſsimum Patrem

ANGELICVM APROSIVM, Auguſtinianum.

In Anagramma.

ECce, Pilatus, amans, corde ignem emittit amoris,
Dum ſontem Chriſtum, dum negat eſse reum;
Dumque ſtudet famam inſontis, vitamque tueri:
Quid tamen? indignum morte, perire iubet.
VT LAPIS, Angelice, eſt: lapis ignem emittit; at ignem
Non tamen, emittens, deſinit eſſe lapis.

Digitized by Google

QVIDNAM EST VERITAS?

Anagramma purum.

AN STATVS REI? QVIDEM.

In Anagramma.

AD CAROLVM QVÆSTIVM

QVid ſit, Carole, Veritas, frequenter
Quæris, nec tamen inuenis docentem;
Non dùm nam tibi vera pandit vllus:
Mendax ſcilicet omnis eſt profectò.
Verax eſt Deus vnus: hoc rogatus
Dixiſſet, niſi terga mox Pilatus
Vertiſset, quid agam ergo? ais; docebo:
Ex ipſa pete vera Veritate;
Ipſam ſe bene Veritas recludet:
Reſponſo, tibi Veritas fauebit.
Sic quęre: AN STATVS eſt REI? QVIDEM, inquit.

Oratio.

de more habita in Votorum *renouatione* die feſto CHRISTI Natalis, *ab eloquentiſsimo Viro, Auctoris olim in Religione Præceptore,* CAMILLO à S. HIERONYMO Vrbinate, quondam Præpoſito Generali III. *ſummatim* Epigrammate *comprehenſa*.

QVid mihi, votorum in cultum de more profari
Mens iterum? hoc meliùs tempore lingua tacet.
Sat Patris æterni loquitur venerabile Verbum,
Chriſtus, quem ſtabulo lux hodierna ſtupet.
Iure mihi, fundit Verbum dum verba, tacendum:
Verbi igitur, fratres, verba tenete, mei.
In terras, Patris ad nutum, de culmine Cœli
Deſcendi: patribus te quoque ſubde tuis.
Mater, Virgo, mihi eſt: patris inſtar, caſtus Iòſeph:
Sic tibi candoris ſit quoque charus amor.
Vix natus, ſtabulo gelidi fero frigoris iras:
Ediſce, ò pauper, tu quoque dura pati.
Audiſtis, fratres: cathedra eſt præſepe; ſuperni
Inde Patris Verbum talia verba dedit.
Talia verba dedit, licèt infans; ſcilicet actus,
Verbi Verba, ſono qui meliore ſonant.

De

De vera hominis ſtoliditate.

Ad doctiſſimum, optimumque Patrem,

P. PETRVM ab ANNVNCIATIONE, Brixienſem, ex Patribus Scholarum Piarum.

Auctoris olim in ſæculo, Præceptorem,

QVid non in terris homini dat nuncia mortis?
Exclamant paſſim cuncta: memento mori.
Templa operoſa iacent, fortiſſima quæque procumbunt,
Rudera, & exclamant ipſa: memento mori.
Ipſi etiam laceri ornatus, domus ipſa dehiſcens,
Quo datur, exclamant ore: memento mori.
Sulcati vultus, febres validæque, malorum
Plurima & exclamat turba: memento mori.
Vſque manus, quibus eſt ſita littera mortis, apertæ
Omnibus exclamant, Petre: memento mori.
Atque horis vitæ reſonant dum concaua lapſis
Altiùs exclamant æra: memento mori.
Et tibi, nate, parens; ſponſus tibi, mortis agoni
Proximus exclamat, ſponſa: memento mori.
Maiorique minor, fatà vltima nunciat æger,
Parque pari: exclamant cuncta: memento mori,
Sic tamen exclament homini licèt omnia, trunco,
Vel ſaxo aſsimilis, percipit ille nihil.

Ad diſertiſsimum Virum

CHRISTOPHORVM STORANVM

Anconitanæ Cathedralis Eccleſiæ Canonicum.

Mors ſemper crudelis, & inexorabilis.

ex eo, quod Natalis Comes *tradit in ſua* Mythologia, *lib. 3. cap. 13.*

Veteres videlicet, Morti, *nunquam erexiſſe templa.*

QVàm rigidi Mortis mores! diſcrimine nullo
Cuncta metit; nulli parcere dira ſolet.
Aſpice; non tantùm canas ſuccidit ariſtas,
Sed virides etiam falce, Storane, ſecat.
Haud lacrymæ mulcent, nec, quæ, vel marmora frangunt,
Crudelem Mortem flectere dona queunt.
Antiqui nunquam Morti delubra dicarunt:
Mors nullo admittit tempore dura preces.

Ad ſublimem Oratorem, & Vatem

CAROLVM IO: A IESV

Procuratorem Generalem, Religionis Patrum Scholarum Piarum.

Mors pia, Mors mitis, Mors dulcis, amica, benigna.

NOS infelices, quanta infortunia vexant!
Perpetuò, heu, miſeros nos mala quanta premunt!

O quo-

O quoties cupimus vitali carcere ſolui ;
O quoties propero claudere fine dies,
Terminus vt tandem ſit Mors optata, malorum ;
Cuncta mala vt tandem Mors procul vna fuget ?
Quàm pia, quàm mitis, quàm dulcis, amica, benigna :
Protinus è cunctis nos rapit illa malis.
Ceu Lethe eſt lethum : curarum obliuia gignens,
Perpetua miſeros, Carole, pace, beat,

Ad argutiſsimum Epigrammaton Scriptorem

ANTONIVM GVZZIVM

De duabus Romæ tabernis ſimul coniunctis, *in quarum altera, viuæ volucres venduntur, altera pilulæ, quibus occiduntur.*

HÆc habet innumeras, viuaſque taberna volucres,
Hæ quibus intereunt, iuncta taberna pilas.
Quàm, volucrum vitæ, Antoni, nex dira propinqua!
Quàm, diræ volucrum vita propinqua neci!
Vita, ò vita breuis! quin vita breuiſsima, quando
Diſtat ab interitu, non niſi, vita, gradum.

De rheda cum fœno per Vrbem deducta :

ex illo apud Iſaiam, *cap.* 40.

Omnis caro fœnum.

RHedam olim fœno plenam cum fortè videret,
Confeſtim ſocius riſit, aitque meus :

Cernis, vt hęc homines aſſueta efferre per vrbem;
Nunc vilis fœni pondera theda vehit?
Cui ego, certò noui nihil hic, reſpondeo: & antè
Hæc fœnum (ſiquidem fœnum homo) theda tulit.

De quodam, cui PETRVS nomen erat, *mortuo in via, cum admodum ætate prouectus, rediret ad patriam.*

Ad Patrem LAVRENTIVM à S. MICHAELE ex Caſtilione Florentino, ex Patribus Scholarum Piarum.

Laurenti, Petrus, cuius iam debita falci
Mortis erat ſenij pondere vita cadens,
Egreſsus Roma, patrias rediturus ad ædes;
In media occubuit, Morte furente, via.
Tetrica Mors, auidis ſemper contraria votis:
En vetuit propria ſiſtere poſse domo.
Quid loquor? in proprijs iam ſedibus ille quieſcit;
Sunt ſenibus propriæ, namque ſepulcra, domus.

De

DE EODEM

in idem argumentum.

PEtrum, iter ingreſſum ſtrauit Mors dira: via omnes
Sternimur: in Mortis, lubrica vita, via eſt.

DE HERACLITO, ET DEMOCRITO;

Quorum primus ob varios humanæ vitæ caſus; ſemper plorabat, alter verò ridebat.

Anagramma cum Epigrammate.

HERACLITVS.

Anagramma. *f, additum.*

AH, FLET CVRIS.

DEMOCRITVS

Anagramma. *o, in e.*

RIDET SECVM.

Ad grauiſsimum Oratorem, & Vatem

ALEXIVM à CONCEPTIONE Anconitanũ

ex Patribus Scholarum Piarum,

Aſsiſtentem Generalem.

VItæ Heraclitus spectacula, Democrituſque
    Aſpiciens, ſemper ridet hic, ille dolet.
Errat vterque; nimis vitioſum vtrumque: notatur
    Perpetuus riſus, perpetuuſque dolor.
Errat vterque; dolens leuiùs tamen errat, Alexi:
    Hæc plùs, quàm riſus, vita doloris habet.

De ſubita BEBII PAMPHILI morte,

cum ſcilicet quæſiuiſſet à puero, quota hora eſſet.

AD EVMDEM.

VIx, quota ſit, Bebius ſcitatur Pamphilus, hora,
    A puero, Mortis cum fera iura ſubit.
Omnes mirantur lethi genus; haud ego: lethi
    Anne nouum genus eſt, illicò, Alexi, mori?
Hora ſua eſt cunctis; Bebij tinniuerat hora:
    Hora ſimùl ſonuit, Mors cita quemque premit.

De

De iudice BEBIO morte compreſſo, *cum vadimonium differri iuberet.*

AD EVMDEM.

SE placidum ſonti Bebius dum præbet, Alexi,
Iudicijque pia prorogat arte diem,
Nulla fit, heu, miſero Bebio dilatio fati,
Sed ſubitò, ſubita Morte vocatus, obit.
Mors nunquam mitis: Mors nunquam tempora differt:
Mors dum ſæua vocat, non datur vlla mora.

IMPERATOR.

Anagramma purum.

PRIOR AMET.

In Anagramma.

QVi regere exoptat populos feliciter, ille,
Ille PRIOR (clamat nomen honoris) AMET.
Paret enim quicunque priùs ſe nouit amari:
Rite regit populos, qui ſit amore prior.

IN IDEM.

VIncula nectit Amor: quicunque ligatur Amore:
Parebunt omnes, ſi dominetur Amor.

MA-

MAGISTER.

Anagramma. *m, abiectum.*

IS REGAT.

In Anagramma.

AD mala procliues Iuuenes: quæ cura Magiſtri?
IS REGAT: & dictus rite Magiſter erit.

Ad Patrem IO: FRANCISCVM à S. PETRO, Mutinenſem.

Religionis Paup. Matris Dei, Scholarum Piarum, *Romæ COLLEGII NAZARENI Magiſtrum.*

In illos Præceptores,

Qui tantùm ſcientiam inflantem docent, non virtutes, non timorem Domini, qui eſt initium ſapientiæ.

IOannes Franciſce, pio de more, timorem
Qui Domini in primis, & ſacra iura doces,
Tu bene cognoſcis, quæ ſit via recta docendi;
Diſcunt diſcipuli ſic bene, crede, tui.
Nequicquam ſophię tradunt præcepta magiſtri,
Virtutis nunquam qui documenta ferunt.

Inflat

Inflat ; ſeiuncta pietate, ſcientia : folles
Efficiunt tumidos aere diſcipulos.
O ... ale ſuſcepti, fruſtrà impenſique labores :
Diſcipuli noſcunt hac ratione nihil.
Nulla eſt cognitio, quibus eſt incognita virtus :
Nulla erit his vllo tempore cognitio.
Quippe timore Dei, ſoſphiæ primordio, inanes,
Incipiunt nunquam diſcere diſcipuli.

In Inſigne ACADEMIÆ VARIORVM Romanæ, in Domo S. Pantaleonis Patrum Scholarum Piarum

ab Auctore in progreſſum ſtudioſæ Iuuentutis inſtitntæ, in quo Iris, *cum dicto*: *Mille trahens.* *ex Virg. Æn. lib.* 4.

SOle, & Nube oritur, quæ ſtemmate cernitur Iris:
Sole Deum, Mariam noſcere Nube potes.
Iris es, ò Iuuenis, Sole hoc, hac Nube colores
Mille trahens Sophiæ; tu, velut Iris ades.
Felix : ficta tibi non Muſa, aut fictus Apollo
Carmina dat : Maria eſt Muſa, & Apollo Deus.

In Inſigne ACADEMIÆ ARGONAVTARVM Anconitanæ, *in quo* Nauis, ventis, fluctibuſque agitata : *cum dicto* : Ex Virtute ſalus.

EST mare, mundus; homo, ratis eſt; fluctuſque, notique
Sunt ſcelerum furiæ, queis agitatur homo.
Naufragus, heu, imo quid ne maris æquore ſidat,
Hic agat ? heu, miſero eſt vnde petenda ſalus ?

Ex

Ex *Virtute ſalus*: Virtus parit vna ſalutem:
Virtutem, ne ſit naufragus, ergo colat.

Adoleſcens NIVARDVS S. BERNARDI Abbatis frater *natu minimus*.

fratres ſuos omnes, ad Religionis portum confugientes, hæres ex aſſe relictus, ſic affatur.

VOs petitis portum, me linquitis æquore; ſtultus,
Stultus ego, portu ſi procul, æquor amem.
Hic fraternus amor? ſunt hæc pia viſcera fratrum,
Quod fugitis, medio me ſinere eſſe mari?
Vos Cœlum vultis; terram mihi linquitis: hæc pars
Non fratri veſtro eſt æqua; ſit æqua, volo.
Vos Cœlum vultis; Cęlum volo: terra, valeto:
Et mihi, quæ vobis, Cęlica Regna placent.
Vos bene diuiditis, ſed vobis, non mihi, fratres,
Dum bene diuiditis, non bene diuiditis.

Clauſtralis tutus, Mundanus contra.

CLauſtralis tutus; portum tenet ille; periclis
Milleque Mundanus fluctuat; in pelago eſt.

CLE-

CLERICI REGVLARES PAVPERES MATRIS DEI SCHOLARVM PIARVM.

Anagrammata II.

Anagramma I. purum.

IPSI SORS CARA PVERIS:

REGALE, PVLCHERRIMVM ITER AD CÆLVM,

Anagramma II. *s, conuerſum in v.*

CARIS PVERIS VERE PVLCHRVM ITER

AD SVPERAM CÆLI GLORIAM.

In Anagramma I.

Ad ſtudioſam SCHOLARVM PIARVM Iuuentutem,

Quæ vnà cum litteris, pietate in primis imbuitur.

EVge; Scholis lætare pijs, quicunque iuuentam
Hic decoras ſtudijs: hic tibi ad aſtra duces.

Sors

Sors tibi cara nimis, pia dogmata namque recludunt,
Informantque pij te Pietate Patres.
Quantum Opus! ad decora alta locis Sapientia multis,
Eſt iter; hic Pietas eſt tibi ad aſtra via.

In Anagramma II.

ob remotionem litteræ, s, & poſitionem litteræ, v.

Epigramma,

ex dicto S. Gregorii Papæ, *homil*. 29.

Qui bonis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, ſerpentes tollunt.

SErpenti ſimilis, s, littera; littera vitam
V, notat, V vitæ nam patet eſſe caput.
Serpentes tollit, quicunque è cordibus aufert
Nequitiam, & vita dat ſuper aſtra frui.
Chriſtiparæ hoc agit in primis pius Ordo, iuuentam
Cum docet; huic curat pellere nequitiam.
Sic iter ad vitæ Cæleſtis munera pandit:
Nequitia amota, cœlica vita datur.
Sic, s, expulſum ratione, Anagrammate noſtro,
Lector, &, v, poſitum ſic ratione vides.

Digitized by Google

Ad ſtultam Iuuentutem pulchritudinis, cultuſque corporis amantem, non animæ.

HEu, nimis infelix, iuueniſque inſane, decorem
Cui tantùm vili corpore ineſse placet.
Quid iuuat ornata, nitidaque incedere veſte?
Quid vè iuuat formæ quærere munditiem?
Quid iuuat & nimio ſtudio componere crines?
Spargere quid Tyrio corpus odore iuuat?
Ecce tuæ eſt animæ, pulchræ virtutis amictus
Nullus, mundities nulla, nec vllus odor.
Nuda, lutoſa iacet, ſcelerumque immunda Mephitim
Exhalat; fœdam tu tamen eſſe ſinis.
Quid querar hic vltrà? mundus tibi calceus vt ſit
Curas, cura animæ non tamen vlla tuæ.
Infelix iterum nimis, inſanuſque vocandus:
En tibi præfertur calceus vſque, animæ.

Ad eamdem ſtultam Iuuentutem Vana corporis pulchritudine ſibi placentem.

NE tibi florenti placeas ætate, Iuuentus,
Ne iactes formæ lilia mixta roſis,
Lilia ſunt animæ dum caſti nulla decoris,
Dumque rubent nullæ, cœlico amore roſæ.

Ad Iuuentutem eamdem ſcelerum ſectatricem.

HEV, quàm, ſectatrix vitij, maleſana, iuuenta, es:
Tu pulchrum, quo nil turpius, eſſe putas.
Deforme eſt vitium; virtus pulchra vnica; formam
Sed pulchram, vitium Dæmonis arte gerit.
Quod vitio exoritur, tibi ſit meditatio damni;
Perſonam vitio detrahet iſta tuo.

Mundus immundus.

IMmundus Mundus, ſolo hic eſt nomine Mundus;
Vt lucus, lucis nil, niſi nomen, habet.

AMOR prauus, malè fictus PVER.

Ad eruditiſsimum Dominum,

Dominum PETRVM PALATIVM, Abbatem, Brixienſem, Auditorem olim Auctoris.

QVis prior impurum, puerum, Petre, finxit Amorem?
Auctori ingenium quàm puerile fuit.
Viget Amor grauiter ſubiectos ſemper Amantes:
Quàm grauia, heu, ſemper pondera ſentit Amans.
Quos ſemel euinxit, nunquam leuat; imò catenis
Nunquam ſoluendis, acriùs arctat Amor.
Quos non ille duces, quos non premit ille gigantes?
Prauus Amor ſemper robora cuncta domat.

Non

Non aliò domitos conuertere lumina, greſsus
Tendere non aliò, preſsaque membra ſinit.
Ah, miſeri, impuro preſsi domitore: premuntur
Vſque adeò, barathri donec in ima ruant.
Quàm leuis, impurum, puerum qui finxit Amorem;
Qui tanto preſtat robore, non puer eſt.

Epigramma

Sub imagine alati CVPIDINIS, roſiſque redimiti.

Ad Amatorem rerum terrenarum.

LÆtitijs Superûm firmis, Mundane, relictis,
Poſthabito & formæ munere perpetuæ,
Gaudia fallacis ſectare volantia Mundi,
Atque venuſtatem, quæ citò languet, amas;
Diſce, quod ignoras, infelix, diſce: Cupido
Explicat ecce alas, cingitur ecce roſis.

Ad eumdem caducarum rerum Amatorem.

In verba illa Act. Apoſt. *capite nono.*

Surrexit autem Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat.

SAulus humo ſurgens, oculis nil cernit apertis:
Nil modò cernenti, cernere rite datur.
Nil, terrena: aliquid tibi cur, Mundane, videntur?
Quòd non cum Saulo ſurgere diſcis humo.

Idem terrenarum rerum Amator inſanus oſtenditur.

Ad AD. R.P. SIMONEM à S. BARTHOLOMÆO, Religionis Patrum Scholarum Piarum, Aſsiſtentem Generalem.

O Quàm ſtultus Amans, mundano agitatus amore!
Gaudia perſequitnr, quæ fugitiua volant.
O quàm ſtultus Amans, fugientibus anxius vmbris!
Huic amor eſt ſtabili non in honore, Simon.
O quàm ſtultus Amans, ima, nifima, vilia quærens:
Hunc terram Cœlo præpoſuiſſe iuuat.

Idem, puero ſtultior demonſtratur.

DVlcibus oblatis pomis, auroque, puellus,
Auro contempto, dulcia poma capit.
Mentis inops puer eſt; tibi, vir, dementia maior,
Cœlica qui renuis, terrea qui ſequeris.
Quanta tibi miſero, quanta eſt inſania, quandó,
Quæ capienda, fugis, quæ fugienda, capis.

Ad eumdem rerum Mundanarum Amatorem.

Veram pulchritudinem, veras diuitias, vera gaudia in Cælo eſſe dumtaxat.

QVæ ſpecioſa vides, & pulchra niteſcere terris,
Cœlica ſpectanti, turpia, fœda patent.
Diuitias & quas toto miraris in Orbe,
Pauperiem meliùs, mens cui celſa, putat.
Sunt curæ potiùs, quæ gaudia credis, & ipſa,
Ipſa quies, tantùm quam cupis, anxietas.
In Cœlo verè, ſpecioſaque, pulchraque, veræ
Diuitiæ, vera & gaudia, vera quies.

Amans eſt amens.

EN quoque qualis Amans ſit, Nomine promit: in e, a
Cum conuerto, *amens* tunc mihi promit *Amans*.

De Eodem.

CVM ſit *Amans amens*, *Amentem* dicito *Amantem*:
Aptiùs *Amentis* voce notatur *Amans*.

VOLVPTAS TERRÆ.

Anagrammata II.

I. AVSTER PERVOLAT. *purum.*
II. ARET VELVT ROSA. *p. remotum.*

In Anagramma I.

Ad nobiliſsimum Virum, Auctoris quondam Auditorem,

IOANNEM ANTONIVM THOMATVM, Iuris Vtriuſque doctorem.

STultitiæ genus hoc audi, Thomate: voluptas
Terræ, ceu AVSTER PERVOLAT, atque perit.
Attamen hanc hominum ſequitur pars maxima: venti
Nonne ſequi curſum, ſtultitiæ genus eſt?

In Anagramma II.

AD EVMDEM.

SAT, Thomate, breuis; terræ non longa Voluptas:
Quàm breuis eſt! ARET ne VELVT, ipſa, ROSA
Quæ breuior, quàm vita roſæ? roſa perbreuis eſt flos:
Luce oriente viget, luce abeunte, perit.

FOE-

FOELICITAS VERA.

Anagrammata II.

I. ISTA FRVI, E CÆLO. *purum.*
II. SITA CÆLO VIRET. *ſ, in t.*

In Anagramma I.

AD AMBROSIVM TALPIVM.

AN vera ſit fœlicitas terris, rogas;
Non vera terris, Ambroſi, fœlicitas:
Fœlicitate Mundus eſt vera procul.
Non vera Mundi; falſa ſed fœlicitas.
Si vera terris eſt tamen fœlicitas,
ISTA FRVI, E CÆLO datur Mortalibus.

In Anagramma II.

AD EVMDEM.

EST Mundus abſque fructibus, nec floribus
Vllis, decorus, Ambroſi; eſt hic aridus.
Arent caduca cuncta; non fœlicitas
Eſt vera terris; hæc VIRET CÆLO SITA,
Vbi caduca nulla; cuncta permanent.

De marmorea PRAXITELIS VENERE ſine pedibus.

AD LEONEM SCELERIVM.

LÆtitia expleri vt poſsis, bona gaudia captes:
Non explent animum gaudia praua, Leo.
Integra non hæc ſunt, perfectaque gaudia; ſignat
Hoc imperfecta Praxiteles Venere.

De eadem VENERE Praxitelis.

QVam ſine Praxiteles pedibus de marmore ſculpſit,
Dat tibi, laſciuos noſcere rite Venus.
Nam qui laſciuus? cui non fuga: blanda voluptas
Eſt ſuperanda fuga; non habet ille pedes.

Quare Roſa VENERI dicata.

SCis, Roſa cur Veneris ſit flos? impura voluptas
Spinas, corda quibus ſontia pungit, habet.

VVLCANVS maritus VENERIS

bene claudus fingitur.

QVàm bene Vulcanum, claudum finxere Poetæ,
Fons ſcelerum coniux cui Cytherea fuit.
Turpia qui Veneris ſequitur conſortia cętus,
Claudicat hic, æquo neſcius ire gradu.

MAR-

MARSYAS Phrygius ab APOLLINE excoriatus,

quòd cantus certamine ſuperatus fuerit,

expreſsus pictura, ita inſpectorem alloquitur.

QVicunque iratum ſpectas in imagine Phœbum,
 Viſcera nudantem corporis enſe mei,
Præcipites irę motus compeſce: vel ipſum
 Effera carnificem reddidit ira Deum.

De hominibus, non virtutes ſpectantibus, ſed vitia ſolùm intuentibus, & exprobrantibus.

AD R.P.F. FRANCISCVM DE AGRATIS,

Bononienſem, ex Ordine Prædicatorum,

Auctoris quondam Diſcipulum.

FVlgentes radios, nitidiſsima lumina fundit
 Phœbus, & immodico cuncta nitore beat.
Quot tamen, ò Franciſce, oculos attollere cernis?
 Tam pulchram ſpeciem cernere rarus amat.
Denigrat eclipſis quòd ſi caligine Phœbum,
 Quiſque oculos centum, ceu vigil Argus, habet.
Sic laudant rari virtutum luce nitentem;
 Si quo nigreſcat crimine, quiſque notat.

AD EVMDEM.

Cur homo ſuperbus, licèt nobiliſsimus, vituperetur,

humilis verò laudibus extollatur.

CVr, licèt illuſtri, Franciſce, ex ſanguine natus,
Arguitur tumidus, fertur ad aſtra humilis?
Tollere ſe, vitium eſt; contrà, demittere, virtus:
Virtuti decus eſt, dedecus eſt vitio.

Cur improbus oculos quoquouerſum conuertat, probus contrà, demiſsos habeat,

AD R.P.F. THOMAM PICCIONVM,

Romanum, ex eodem Ordine Prædicatorum,

Auctoris olim quoque Auditorem.

QVem bona delectant, Thoma, fallacia, ſemper
Hùc, illùc oculos ferre, referre iuuat.
Cui bona virtutum cordis ſeruantur in arca,
Demiſsos oculos ſemper ineſſe vides.
Nam ſua vterque vigil bona proſpicit, atque tuetur:
Cuncta bona hic intùs poſsidet, ille foris.

AD

AD EVMDEM.

De homine infimæ conditionis,

ad honorum gradus euecto, ſuperbè amicos aſpiciente.

THoma, oculis tumidis, grauibuſque vt cernat amicos,
Vnde fit, ex humili vectus in alta ſtatu?
Fortè, vt vile genus grauitas tegat, & decus addat?
Dedecus at potiùs, quàm decus inde oritur.
Nobilitas fictis oculis non vera paratur:
Moribus ingenuis nobilitatur homo.

Ad doctiſſimum Senem, Scriptoremque elegantiſſimum,

IANVM NICIVM ERYTHRÆVM,

Romanum, Auctori amiciſsimum,

(vt patet ex ipſius litteris ad Auctorem, editis Coloniæ Vbiorum, eiuſdemque epigrammate, poſito poſt duo ſequentia, & epigrammatis lib. 3.)

Qui ſe nihil eſſe fatebatur.

TE nihil eſſe videns, bene conſpicis, optime Iane;
Verius eſt vero: non niſi, quiſque, nihil.
Tu nihil es, quicunque nihil; ſed lumine caſſa
Plurima turba tamen ſe videt eſſe aliquid.
Quod nam cernendi genus hoc? mirabile! quidquam
Qui videt, eſt cæcus; qui nihil, ille videt.

AD

AD EVDEM.

in idem argumentum.

EST quicunque nihil; tu ſcis, & Iane, fateris;
Teque, nihil pleno, non ſemel, ore vocas.
At quicunque tamen, paucos ſi exceperis, audax
Se nihil eſſe negat, ſe putat eſſe aliquid.
Nec mirum: facile eſt aliquid mihi cernere; verùm
Vt nihil aſpiciam, lux mihi qualis opus?

Ad Auctorem Epigramma

IANI NICII ERYTHRÆI,

Quo ſe laudari nolle ſignificat,

ideò hoc loco poſitum, vt & illa, quæ ſunt lib. 3. vt ars Auctoris in reſpondendo noſcatur.

PArce, precor, paleis, & plumis addere pondus,
Paruaque carminibus reddere magna tuis.
Sat mihi, qua præſtas, ars eſt, & cognita virtus,
Dum facis eximium, quem patet eſſe nihil.
Vis, aliquid fiam? crimen ſit longiùs, ora,
Carole; tum Nicius deſinet eſſe nihil.

Re-

Reſponſio Auctoris,

quoad potuit verbis IANI NICII inhærentis.

PArce, precor, grauibus, Vir maxime, demere pondus,
Magnaque carminibus reddere parua, tuis.
Sat mihi, qua præſtas, rara eſt tua cognita virtus,
Dum facis, eximium quem patet eſſe, nihil.
Vis, inquis, ſim aliquid? tibi dum demiſſio, Iane,
Hæc tibi dum virtus, non potes eſſe nihil.

Vir probus, ſemper humilis.

AD R.P.F. IOSEPHVM à S. MARIA,

Carmelitam Diſcalceatum, Romanum.

Auditorem olim Auctoris.

VIR, pietate grauis, plenus virtutibus heros,
Demiſso, Ioſeph, tendit ad ima, animo.
Sic quæ maturis pomis exuberat arbos;
Demittit ramos, pondere prona, ſuos.

Ad

Ad ſapientiſſimum Senem

VINCENTIVM COMNENVM,

ex Ordine Prædicatorum,

Vt in aduerſis gaudeat, & fortis perſiſtat.

OPtime Vincenti, ventis agitatus iniquis,
Gaude; aduerſa virum flumina ſæpe iuuant.
Vexatus dura: parient tibi gaudia curæ;
Gaudia, Vincenti, quin mage plena dabunt.
Ventis excuſsi fluctus tolluntur in altum:
Plenior expreſsis floribus exit odor.

De hominum infœlicitate.

Epigramma,

cuius vtrumque carmen

conſtat ex omnibus partibus orationis.

AH, miſerè in terris nos viuimus, & lacrymantes:
Heu, nos ad mortem unus iugiter, ac properantes

De carminibus hiſce duobus, compoſitu
perdifficilibus, argutiæ, iocique cauſa
ZOILVM ſic Auctor affatur.

Car-

CArmina, ſi potes, hæc; hæc ſi potes, inuide carpe:
Perfecta ex *omni* carmina, *parte* vides.

Sed ita fortaſſè meliùs.

CArmina quì carpes mea nunc? vel, Zoile, nolis,
Perfecta ex *omni parte* neceſsè, voces.

PATIENTIA.

Anagramma. *a, in e,*

IN PIETATE.

In Anagramma.

SI pius eſſe cupis, tibi ſit Patientia: nulla eſt,
Si procul hæc, pietas: IN PIETATE manet.

Flos hians, mortalis vitæ hieroplyphicum.

AD FLORENTIVM FERETRIVM.

FLos dum floret, hiat; flos quàm bene pandit, hiando!
Florenti, quid ſit viuere; iugè mori.

SILINTIVM.

Anagrammata II.

I. IN MVLTIS. *e, remotum*
II. MVLTI SINE. *purum.*

HARPOCRATES Silentij Deus habitus apud ÆGYPTIOS, *Auctorem, ob primum* Anagramma *reprehendens ſic loquitur.*

ECquis es, è noſtro falſum qui nomine ſenſum
Decucis? non te promere falſa pudet?
IN MVLTIS ego ſum? quantùm mentire: loquaces
Pene omnes: ò quot garrula lingua ſtrepit.
In pacis ego ſum: tibi littera quæque notetur
Nomine fixa in eo; nomine vera fero.
Sunt MVLTI, ò mendax, SINE me: dum nominis vnam
Negligis ipſe notam, non niſi falſa notas.
Sim licèt Harpocrates, digitoque ſilentia ſignem,
Auſa minùs potui ferre, proterue, tua.
Perpetua in vitio eſt ſeruare ſilentia: peccat
Quisquis, fundendi tempore verba, tacet.

SI-

SILENTIVM.

Anagrammata II.

I. NIMIS VTILE. *i, additum.*
II. NEX LITIVM. *s, in x.*

Ad præclari ingenij Iuuenem, Diſcipulum olim Auctoris.

GEORGIVM ISAIAM GEORGINVM.

In vtrumque Anagramma.

NIMIS, Georgine, VTILE eſt ſilentium.
Cuſtos quietis illud eſt fidiſsimus.
Quicunque cunctis optat eſſe à litibus
Liber, repreſſa lingua amet ſilentium.
Vt lingua origo litium, fons omnium,
Sic omnium NEX LITIVM, ſilentium.

Quomodo admonendum ſit.

ex voce corripere, *quaſi* cor rapere.

AD CLASSICVM TAMBVRIVM.

QVæ cauſa eſt, inquis, quòd ſæpè argutus Auitus,
Aſsiduè ſcelerum perditus vrget iter?

L Hæc

Hæc eſt cauſa: monens, non, Claſsice, promis amorem:
Obtundis tantùm voce ſtrepente caput.
Claſsice, non ſtrepitu, grato ſed amore monendum eſt:
Vt bene *corripias*, Claſsice, *cor rapias*.

CALVMNIATOR.

Anagramma. *n, abiectum*

AVCTOR MALI.

Ad doctiſsimum Virum, Auctoriſque amantiſsimum,

Dominum BARTOLDVM NIHVSIVM. Germanum,

In Anagramma.

O Quantum vitium eſt calumniari!
Fingit crimina qui calumniatur.
Hic, iuſtumque, virumque labe caſsum,
Iniuſtum probat eſse, noxiumque.
Aptum nomen habet calumniator:
Optas noſcere? litteræ profectò
Praui nominis indicant, Nihuſi:
AVCTOR, cerne, MALI, calumniator.

Per

Per PANDORAS, Gentes in conuallibus INDIÆ, *quibus in iuuentute*, Plinio *teſte*, *capilli candidi ſunt*, *nigri in ſenectute, praua morum conuerſio ſignificatur*.

EOI populi, Pandoræ nomine dicti,
Sunt cano iuuenes crine, nigroque ſenes.
Sic mores multi s iuuenili ætate ſeniles,
Et iuuenum mores, quando ſenecta premit.

IVVENIS.

Anagramma purum.

EN VIVIS.

In Anagramma.

Epigramma, *quo* vita Iuuenis *par* vitæ Senis *oſtenditur*.

O, Qui Neſtoreos, Iuuenis, tibi præcinis annos,
EN VIVIS: miſera eſt en breue, vita tua.
EN VIVIS: viuamque, inquis? dubia hora futura;
Tamque tibi dubia eſt, quàm ſolet eſſe ſeni.
Vita, ſenis vitæ, tua par: (ne crede iuuentæ)
Solùm præſenti tempore vita datur.

Pueros veri, Adoleſcentes æſtati,

Iuuenes autumno, Senes hyemi

egregiè PYTHAGORAS comparabat.

Hinc argutè humanæ Vitæ breuitas *infertur*.

AD QVARTVM CVRTIVM.

VER, æſtas, autumnus, hyems, vt quattuor anni
Tempora, ſic hominis tempora, Quarte, notant.
Ver pueros, adoleſcentes oſtendit & æſtas,
Autumnus iuuenes ſignat, hyemſque ſenes.
Menſio (vita mihi proh quàm breuis!) vnius anni,
Totius eſt vitæ menſio facta meæ.

HOMO PVLVIS.

cur ſuperbit?

Ad optimum Virum, olim Auctoris Auditorem,

DOMINICVM MARINETTVM,

Ariſculanum, Archipresbyterum.

QVi capis à Domino præclarum Nomen, & illum
Aſsimilas, mitis moribus, atque humilis,

Ex-

Exclamare ſoles: ventoſa ſuperbia tollit
Cur hominem? nonnè ex puluere factus homo?
Quis neget? atque ideò euehitur, quia puluis inanis:
Aſsueſcit vento puluis ad alta rapi.

HOMO VMBRA

ſibi horologium eſt.

VMbra es, homo: tibi met ſignas velocia vitæ
Tempora, dum terris, vt breuis vmbra, manes.
Occiduas, properata ruit tua vita per horas,
Occiduaſque horas tu, velut vmbra, notas.
Inſipiens, horas alijs quid quæris ab vmbris?
Vmbra tibi tute es, quæ docet, hora quota eſt.

HOMO FLOS.

FLos homo; flos breuis eſt; breuis eſt homo: vix viget ille,
Cum languet; viuit vix homo, cum moritur.

Quid ſit tempus, exponitur,

triaque horologiorum genera,

Aquarij, Solarij, & Arenarij

vnico tantùm verſu clariſſimè explicantur.

AD LVLLIVM NESTORIVM.

TEmporibus ne fide, miſer: quid tempora, Lulli?
Vnda abiens, fugiens Vmbra, & Arena fluens.

K, nota abſolutionis *apud Veteres, vt ait* Britannicus, *Perſij interpres,* damnationis, *vt tradit* Crinitus.

Sententiam concordem oſtendit Auctor.

QVi procul expellis tenebroſa, Britannice, Perſj,
k, ſignum vitæ rite, fuiſse, doces.
Tu mortis, Crinite, notam: ſententia concors:
Mors, vita eſt; homini viuere, quippe mori.

Mor-

Mortalis vitæ exiguitas oſtenditur
per Horologium rotale.

In quo ſtatuæ quædam haſtatæ, rotis conuerſæ, non tantùm ſingulas horas, ſed earum etiam partes demonſtrant; miraque ſedulitate rotarum minuta cuncta ſpectantur, Morſque irata inſpicitur, cum enſe diſtricto, egregia arte deambulans.

Ad AD. R. P. FRANCISCVM. à IESV,
Panormitanum, Religionis Paup.
Matris Dei Scholarum Piarum,

olim Aſsiſtentem Generalem.

QVàm bene cõſtructũ eſt Opus hoc, Franciſce, rotale!
Tempora & hoc vitæ quàm bene, parua, notat!
Vſque, rotæ aſsiduis properantes motibus, horæ
Indigitant celeri cuncta minuta ſtylo.
Quis modò, quis ſperet ſibi tempora longa? minutis
Si vita hæc conſtat, tempora longa dabit?
Ecce, caput quaſſans, Mors ſemper dira minatur,
Enſeque diſtricto ſemper iniqua ferit.

Vita potiùs Mors.

Ex alluſione ad horologium arenarium

concluſum Epigramma.

Ad A.D.R.P. NICOLAVM à S. FRANCISCO XAVERIO,

Bononienſem, ex iiſdem Patribus Scholarum Piarum,

olim etiam Aſſiſtentem Generalem.

DInumerat quiſquis mortalis tempora Vitæ,
Hic potiùs Mortis tempora dinumerat.
Nam quæ Vita datur, ſi vix puer exit ad auras,
Cum moritur? nondùm, ſi quoque, natus, obit?
Si quoque dum creſcit, diſcit decreſcere vita,
Temporis & puncto quolibet ægra cadit?
Haud ſemel, ò Nicolae, metit Mors ſæua quotannis;
Haud ſemel, haud iterum; ſemper acerba metit.
Omnibus, heu, morimur momentis: Vita, frequens Mors:
Hæc Vita, heu, Vitæ nil, niſi nomen, habet.
Vel tempus, quo Vita datur, concluditur Vrna;
Deſua & extinctum tempus arena tegit.

De

De hominibus perſonatis tempore Bacchanaliorum *cum piſcibus comparatis.*

Ad nobiliſsimum Virum, Anctoris olim Auditorem,

IOANNEM IACOBVM COLEONVM

Bergomatem, Iuris vtriuſque conſultum.

MElle voluptatum, Bacchi per tempora, turba
Dum putat, heu, iuuenum, non bene cauta, frui,
Toxica, Ioannes Iàcobe, latentia ſentit,
Deliciaſque capit, piſcis vt, illa ſuas;
Qui vix ora cibo prædulci porrigit, hami
Cum miſer inſenſi ſpicula cæca probat.

Cur homines tempore Bacchanaliorum *incedant perſonati.*

QVæritis, inſani Bromij cur tempore, vultu
Mentito, iuuenum, gaudia, turba capit?
In cauſa vitium eſt: iuuenum ſi gaudia turbæ
Recta forent, facies huic quoque recta foret.

Oculi, ſtellæ errantes, & fixæ, *eodemque tempore fixæ, erranteſque.*

SVnt oculi, ſtellæ; errantes, an dixero fixas?
Errantes? fixas dixero? vtroque modo.
Stellæ, oculi, errantes, agiles dum motibus errant;
Stellæ, oculi, fixæ, lumine dum ſtabiles.
Prætereà fixas, & eodem tempore ſtellas
Dixero ſi errantes, dixero iure oculos.
Nonne oculi, quando fixi, tunc protinus errant?
Quàm verum innumeri cum Dauid eſſe vident.

Bene Græca vox Η ΚΟΡΗ pupillam, Virginē-que ſignificat.

VOce, oculi pupilla, & Virgo, vocatur eadem:
Graiugenis tritum nomen vtrumque ſonat.
Quàm bene! pupilla nil corpore pulchrius: & quid
Virgine, vel toto pulchrius Orbe vides?
Cautiùs, atque addas, nil cuſtoditur vtraque;
Offendi grauiùs nil & vtraque ſolet.

De pulchritudine VIRGINITATIS, eiuſque cultoribus.

CVi tua, Virginitas, ſpecies miranda refulget,
Non facilè hunc ſpecie vafra Erycina capit.
Eſt tibi cœleſtis ſpecies, terrena Erycinæ:
Corporis hanc, mentis lux videt alma tuam.
Scilicet Angelicis habitas cum Ciuibus, & te
Qui tenet in terris, hic velut Angelus eſt.

Ænig-

Ænigma.

CAute, fuge, ò Iuuenis, fœdi conſortia cœtus;
Eſt tibi ſi cordi Virginitatis amor.
Pura anima, & purum fuerat mihi corpus; vtrumque
Perdidit admiſsus Mulciber igne ſuo.
Nec largas iuuit lacrymas fudiſſe: reſurgit,
Heu, lacrymis nullis perdita Virginitas.

Hoc Ænigmate, *notatur* Candela: Pura anima *ergo ſignificat* ellychnium, *vulgari lingua italica* ſtoppino: purum corpus, *notat materiã ceream*: Mulciber *ignem*: largas lacrymas *dixit Auctor, ob cereas guttas, quas* candela *liqueſcens effundit*.

In dictum.

Verecundia eſt maximum ornamentum pueritiæ.

IN niueo puero rubrum quicumque pudorem
Cernis, dic: cerno lilia mixta roſis.

DECOR. Anagramma purum. CORDE.

In Anagramma

ex Salomonis *dicto*:

Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: mulier timens Dominum, ipſa laudabitur.

QVi faciem decor exornat, res vana: refulget,
(Vel decor ipſe docet) fœmina, CORDE decor.

In idem Anagramma

Epigramma,

quo eadem ſententia Salomonis *meliùs exprimitur.*

GRatia, res fallax: vana eſt, ò fœmina, forma.
CORDE decor: pulchra eſt, quæ timet vna, Deum.

MV-

MVLIERES,

Anagramma. *e. in v.*

MEL, VIRVS.

In Anagramma.

AD IVVENTVTEM.

QVis fidit colubræ mellita luce tuenti?
Quis colubram blandam credit, & vſque fouet?
Eſt inſtar colubræ Mulier; ne fide, Iuuentus:
Ipſa MEL aſpectu, VIRVS at intùs habet.

De quadam Meretrice, tabula coloribus expreſsa,

cui ſeſe in ſpeculo contemplanti

Oſſis humani capitis, à tergo elati, obiecta repentè imago, timorem peperit, vitæque conuerſionem

DVM ſpeculo flauos capitis miratur honores,
Purpureaſque ſtupet fœmina vana genas,
Inſpecto humani capitis terretur ab oſſe,
Seque Deo, ſapiens facta, repente dicat.
Picta quidem egregiè tabula eſt, ſed paſſa ruinam
Defuncti effractum nunc caput illa gerit.
Scilicèt hæc deerat capitis confractio: fregit
Hæc Morti, ad Vitam fœmina verſa, caput.

ME-

MERETRICES.

Anagramma. *e, in o.*

RETE MISERO.

In Anagramma.

AD IVVENTVTEM.

QVàm miſer eſt, quiſquis Cypriæ irretitur amore!
In rete, vnde ſibi ſit fuga nulla, cadit.
Sunt RETE, ah, MISERO Meretrices ſemper Amanti:
Ne capiare igitur, rete, Iuuenta, fuge.

In idem Anagramma.

MVnde, quid es? mare ſum: quid, homo, es? piſcis: meretrix, quid?
Quæ capio piſcem hunc, rete ego fœmina ſum.

Omnia ſuperiori Diſticho contenta, comprehenſa Monoſticho.

EST mare, mundus; homo, piſcis; mala fœmina, rete.

De noxijs MVLIERVM capillis,

ex eo, quod de Romanis fœminis *referunt hiſtoriæ, eas, videlicèt, attritis neruis, proprios arcubus aptaſſe crines; vnde eſt exorta victoria:*

ARcus, attritis neruis, Romana decoris
Muniuit Mulier, conſpicuiſque comis.
Martia fœmineis, ſubitò, vibrata capillis,
Pugnantes Pœnos tela dedere neci.
Nunc quoque fęminei iaculantur ſpicula crines;
Nunc quoque, ſed placidis ictibus illa necant.
Crinibus, ah, quoties, vafra, muliebribus, arte,
Lethifera arcitenens ſpicula torquet Amor.

De noxio MVLIERVM intuitu.

ASpidis attactus nulla eſt medicabilis arte;
Tam fera, tam rabido toxica ab ore fluunt.
Res hæc mira; magis mirabilis altera: tanta eſt
Cui vis, fęminea luce repente perit.
Ergo oculis Mulier potis eſt ſeruare venena?
Illa vel ex oculis ergo venena vibrat?
Ecquis non fugiat muliebris lumina vultus,
Mortiferam colubram ſi quoque morte premunt?

EPI-

Digitized by Google

EPITAPHIVM

diuerſum ab alijs Epitaphijs, *ſed veriſsimum, vt ex ipſius concluſione clariſsimè innoteſcit.*

Quod anno 1658. *aureis litteris inſculptum fuit Romæ*, in Eccleſia Hoſpitij Patrum Camaldulenſium.

HOC mihi, quod ſpectas, delegi in morte ſepulchrum,
Quo mihi ſit vitæ tempore vera quies.
Heu, miſera hæc vita eſt mors; mors eſt vnica vita:
Viuentes morimur, uitaque morte datur.

Gloriæ Mundanæ ſplendor, inſtar ignei turbinis, *italicè*, Girandola, *appellati*.

FVlgentes populus denſas alto æthere flammas
Vix ſtupet, extinctum cum videt eſſe iubar.
Gloria ſic fulget Mundi: vix gloria Mundi
Fulget, cum tenebras, obruta morte, ſubit.

Mun-

Mundi gloria quònam plauſu viuat, & euaneſcat,

vnico carmine comprehenſum.

QVàm bene! Nil meliùs. Vir quantus! quantàue virtus!
Hoc plauſu, Mundi gloria viuit, obit.

Ænigma.

1\. NIL, niſi ſcruta mihi, pellis caprinaque veſtis,
Et ſtudijs mos eſt, ſemper adeſſe, mihi;
2\. Sed nihil ediſco, tenebris oppletus, & ipſo
3\. Non eſt in toto corpore mica ſalis.
Atque cibo ſemper (poterit quis credere?) nullo
Vitam traduco, diuitijſque vaco.
Sic tamen abiectus ſcrutis, tectuſque caprino
Tegmine, cum claris verſor vbique viris.
Et quamquam nihil ediſco, me conſulit omnis,
Edoceo cunctos, me ſophos omnis amat.
Nulla meamque licèt ſuſtentent fercula vitam,
4\. Multa tamen cunctis fercula grata fero.
Diuitijſque vacans, tales tamen affero, poſſet
5\. Vt non æquales tradere Crœſus opes.

1. Liber plenus doctrina *ſignificatur hoc* Ænigmate; *& quia hic conſtat ex pagina, idcò dictum,* ſcruta; *ex ſcrutis enim illa conficitur, attritis, & maceratis*: pellis caprina, *ipſius tegmen notat.*

2. Tenebris oppletus, *ob nigredinem litterarum ſic dictum.*

3. Non eſt, &c. *Verè non eſt in eo mica ſalis, ſi propriè accipiatur, vt hic propriè, ænigmatis gratia accipitur.*

4. Fercula grata. *Quæ hæc ſunt? ſententiæ, monita, exempla &c.*

5. Vt non æquales. *Neque enim cum ſapientia, quâ optimus* Liber *abundat, lectoreſque ditat, diuitiæ vllæ, licèt maximæ illæ ſint, quales erant Crœſi Lydorum Regis opulentiſsimi, poſsunt vlla ratione comparari.*

MVSÆ

MVSÆ ANCONITANÆ SIVE CAROLI A S. ANTONIO PATAVINO, ANCONITANI, EX PATRIBVS SCHOLARVM PIARVM

EPIGRAMMATON

LIBER TERTIVS.

HEROICORVM.

AD ALEXANDRVM VII. PONT. MAX. De ipſius excelſitate,

Gentilitio quoque Stemmate deſignata.

MAXIME ALEXANDER, totus cui ſubiacet Orbis,
Te quoque ſublimem nobile Stemma notat.
Ecce duplex nullis QVERCVS radicibus hærens
Fixa ſolo, virides explicat alta comas.
Ac potiùs ſummo, quàm terris, æthere MONTES
Stare vides, quando non procul ASTRA nitent.
Sic tu ſpernis humum, celſiſque attolleris actis:
Sic tua ſe pandit fama, niteſcit honor.

Digitized by Google

ALEXANDER PAPA VII.

Anagramma purum.

EN ARX PIA, VALDE PIA.

In Anagramma.

EN PIA, *Alexander* velut ARX, velut Arx PIA VALDE:
Ad quem confugiat, ſi timet, Orbis habet

ALEXANDER SEPTIMVS PONTIFEX.

Anagramma purum.

FELIX PRÆEST: PAX EST IN MVNDO.

In Anagramma.

Cum alluſione ad SVMMI PONTIFICIS Stemma Gentilitium,

in quo Montes *cernuntur,*

ex verbis Pſalmi *ſeptuageſimi primi.*

Suſcipiant Montes Pacem populo.

FELIX ecce PRÆEST Moderator Maximus Orbis:
PAX EST IN MVNDO: Pacis Amator ouat.

Mella

Mella olim *Vrbano* ſtipantes more Volucres
Concordi, optatæ ſymbola Pacis erant.
Innocuoque ferens ramum pacalis Oliuæ,
Candida, vicinæ nuncia Pacis, Auis;
Et celſi Montes, quibus eſt tranquillior aer,
Pacis *Alexandro* ſigna dedere ſuo.
Paxque notata diù, multùmque optata, ſerenos
Principe ſub tanto iam iubet ire dies.
Iam *Montes populo*, poſt tot diſcrimina, *Pacem*
Sub tam tranquillo *Principe ſuſcipiunt*.

CLEMENS PAPA IX.

Anagramma. *c, in t.*

PANIS, PAX, ET MEL.

In Anagramma.

A *Summo* optandum *Nono Clemente* quid vltra?
PANIS hic eſt inopi, Mundo PAX, omnibus ET MEL.

CLEMENS DIVINA PROVIDENTIA IX.

Anagramma. *a, in o.*

PETRI SEDE, ANNO M.DC.LXVII. IVNIO.

In Anagramma.

ob conuerſionem litteræ a, in o.

ex dolore ob ALEXANDRI VII. *obitum,*

& lætitia ob Succeſsorem.

CErnis in, o, verſum a? non hoc, niſi rite peractum:
Hoc factum reputes non ratione procul.
Lætitia, o, reſonat, dolor, a; CLEMENTE ſedente
Eſt in lætitiam verſus vbique dolor.

AD EVMDEM CLEMENTEM IX. PONT. MAX.

Liberalitate in Pauperes theſaurizantem ſibi theſauros in Cælis.

ex illo apud Lucam *cap. decimo ſexto.*

Mortuus eſt autem, & diues, & ſepultus eſt in inferno.

LArgus opum felix, qui, quos affligit egeſtas,
Erigit: infelix quiſquis auarus erit.
Perpetuam in noctem miſerum qua conditur aurum,
Hæc pariter dominis Arca fit Vrna ſuis.
Diues auarus obijt epulo, barathroque ſepultus:
Ecce Vrnam barathro diues auarus habet.

Gaude

Gaude, age nunc, CLEMENS, *Pater Optime*, quem iuuat
Aurum Pauperibus diſtribuiſse manu. (ampla
Mortali ſuperesse tibi dum conſpicis Vrnam,
Terrenis ſuperas tu tibi condis opes.
Gaude, age: opum parcis Arca eſt en Vrna barathro;
Munifico en Coelis, Vrna ſit Arca tibi.

In Eiuſdem CLEMENTIS IX. laudationem.

QVi factis *clemens*, nunc eſt quoque nomine CLEMENS:
Quàm bene CLEMENTIS, quàm bene, nomen habet.
Clementem ſemper clementia facta probarunt:
CLEMENTIS nomen, cui pia facta, decet,

In Eiuſdem SVMMI PONTIFICIS honorem, ob pacem inter Regem Galliarum, Regemque Hiſpaniarum.

NE mirere, feras ſi, dum *Clementia* regnat,
Irati Reges depoſuere vices.

Idem monoſtico denotatum.

MArs ſilet: admiraris? amat *Clementia* pacem.

Ad Eminentiſsimum Principem

FABIVM CHISIVM S.R.E. CARDINALEM

De ipſius eximio honore per Gentilitium Inſigne prænotato, *unà cum* ſummi Pontificatus *augurio*.

ET RAMI, & MONTES, & SIDERA Stemmatis, alti
Nonne, FABI, decoris ſymbola clara tui?
Te ſummi ſumma virtute aſsurgere RAMI,
Euectum MONTES ad loca celſa notant.
Quid ſuper at MONTES deſignant SIDERA? tandem
Quòd tibi ſupremi ſplendor Honoris erit.

EMINENTISSIMVS DOMINVS FABIVS CHISIVS, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS.

Anagramma purum, metricum

tempore Sedis vacantis *compoſitum*,

quo clariſsimè ſumma Pontificia Dignitas *prænunciata*.

ECCE ANNOSVS IAM: RARIS SVBLIMIS HIC, EIA,
EIA, NITENS FACTIS, IN SVMMA SEDE LOCANDVS.

Di

Diſtichon in illud:

ANNOSVS IAM.

cum ille eo tempore ſextum, & quinquageſimum annum tantùm ageret.

A*Nnoſus iam*? non equidem, ſi cernitur ætas:
Annoſum FABIVM plurima facta notant.

Eminentiſsimo Principi

IVLIO ROSPIGLIOSIO S. R. E. CARDINALI

etiam ſummus Pontificatus *patefactus*

ab Auctore per litteras trium ſequentium vocabulorũ

IVLIVS ROSPIGLIOSIVS PISTORIENSIS

Anagramma purum.

SORS! IS IN PETRI SOLIO PIVS, VIGIL SVIS.

In Anagramma.

IN PETRI SOLIO PIVS IS, VIGIL atque futurus
Omnibus is populis (SORS bene fauſta!) SVIS.

Præ-

Præterea ſummi Pontificatus *Vaticinium*,

SIDVS OLORIS,

quod legitur apud S. Malachiam *in* Romanorum Pontificum *ordine*, *patefecit Auctor, incluſum in ſequentibus vocibus*,

IVLIVS ROSPIGLIOSIVS DE VRBE PISTORIO.

per Anagramma purum, ac metricum.

SVRGIT, IO, VERE POPVLIS IBI SIDVS OLORIS.

In Anagramma.

S*Idus Oloris* vbi ſurgat, dum quæris, in altum
Lumina, Mortalis, ne tollas; lumina vertas
In terras potiùs; cernes ibi *Sidus Oloris*;
Quod tot ab hinc annis Malachiæ præſcia veri
Aſpexit, docuitq; Dei mens lumine plena.
Hoc nitet in terris (fauſta Vrbs Piſtoria!) Sidus.
SVRGIT, IO, VERE POPVLIS IBI SIDVS OLORIS.
Cui vitæ candor, cui lux probitatis, & almæ
Lux Sophiæ, vox cui dulcis, dum carmina fundit,
Iulius apparet præuiſum *Sidus Oloris*.
Si neſcis, diſcas: fulgent quoque Sidera terris.

Epi-

Epigramma de INSCRIPTIONE Auctoris,

cum puro Anagrammate *contexta,*

In perpetuum grati animi monumentum

erga CLEMENTEM IX. Pont. Max.

De vniuerſis PATRIBVS SCHOLARVM PIARVM optimè meritum.

Quam Inſcriptionem, *videat Lector in eiuſdem Auctoris* Anagrammaton *Libello, eſt enim* Elogium *nouæ inuentionis ipſius; quod nouum genus* Elogij *ibi declaratur.*

DVm multo efficio ſolers Anagramma labore,
Quis me ſculptori non ſimilem eſſe videt?
Nam licèt & ſcalprum non ſit mihi, marmor & abſit,
Pro ſcalpro eſt calamus, marmore proq; notæ.
Ergo notas calamo, vt ſcalpro, ferioq; premoq;
Nitor & in lucem promere clauſa notis.
Ac veluti occultum, ſcalprum illi rite recludit,
Occultum reſerat ſic Anagramma mihi.
Elogio huic igitur, ſolido non marmore ſculpto,
Quod tenuis chartæ conſpicis eſſe ſinu.
Vita breuis fuerit? nè crede: perennius extat,
Quod charta, quàm, quod marmore, & ære vides.
Cernit Alexandrum, Lyſippi quis modò Signis?
Spectandum Curtj pagina præbet adhuc.

Cum

Cum hæc Auctor exſcriberet, obijt æternæ memoriæ

Pontifex CLEMENS Nonus,
itaque data eſt ei occaſio, clariſſimo quoque Nomine optimi Succeſſoris CLEMENTIS X. *Libellum hunc illuſtrandi.*

CLEMENS PAPA DECIMVS.

Anagramma purum.

ECCE PALAM MVNDI SPES.

In Anagramma

IAm lacrymis, Populi, *Clementis* funere *Noni*
Parcite; Succeſſor gaudia amica refert.
Clemente erepto, *Clemens* non deficit; æquo
Totius huic feruent viſcera amore Gregis.
Cuius geſta ſequi flagrat hic, ſe Nomine ſignat;
Romaq; *Clementis* Nomine rurſus ouat.
Scilicet ECCE PALAM MVNDI SPES: credite: *Clemens*
Approbat hæc, proprijs, nuncia læta, notis.

Ad Eumdem CLEMENTEM X. Pont. Max.

ex ipſius Stemmate Gentilitio, in quo Stellæ.

CVi non Stēma tuū, Cœli inſtar, *Maxime* CLEMENS?
Cæruleo en ſpatio Stemmatis ASTRA nitent.
Quàm bene Cœligerum tibi Stemma, occludere quando
Fas tibi Cœleſtes, fas aperire fores.

Eiuſdem

Eiuſdem ſummi Pontificatus *Vaticinium*, *ab Auctore per Anagramma patefactum, priùs incluſum in ſequentibus vocibus.*

ÆMILIVS ALTERIVS, CARDINALIS, ROMANVS,

Anagramma purum.

MIRVS, RARVS: ILLI ALMA SEDES IN VATICANO.

In Anagramma.

FActa quis *Æmilij* ſpectans ſublimia, mirum
Non vocat, & rarum non pietate ſtupet?
Eſt MIRVS, RARVS: SEDES ILLI ALMA futura
IN VATICANO: nuncia vera ſonant.
Sic Nomen, Cognomen, Honos, & Patria clamant;
Æmilij at meliùs ſic bene geſta canunt.

DE VRBANO VIII. PONT. MAX.

In cuius Gentilitio Stemmate ſunt Apes, *ex dicto*: Melliflui facti ſunt Cœli.

QVàm placidus cunctis Vrbem moderatur, & Orbem
VRBANVS! quanta tempora pace fluunt.
Scilicèt hoc, iterum, Terrarum Præſide, *Cœli*
Facti ſunt (bene APES Stemmate) *melliflui.*

DE

DE INNOCENTIO X. PONT. MAX. anteà IO: BAPTISTA vocato.

Alluditur ad S. IO: BAPTISTAM, *verum innocentis Viri typum.*

IOANNES BAPTISTA priùs, nunc dicitur INNOCENTIVS: huic Nomen, ſi bene pendis, idem.

In eiuſdem ſummi PONTIFICIS honorem, *vide* Elogium *noua inuentionis in lib.* Anagrammaton *Authoris.*

In honorem clariſſimi Scriptoris

Annalium Eccleſiaſticorum,

CÆSARIS BARONII, S.R.E. CARD.

Anagramma cum Epigrammate.

CÆSAR BARONIVS CARDINALIS,

Anagramma. o, *in* c.

SCRIBENS CLARA, SACRA, DIVINA.

In Anagramma.

CLARA, SACRA, en SCRIBENS Cæſar, DIVINAq; cunctos
Quàm bene Scriptores, quæ memoranda, docet.

Quid

Quid claris, ſacris, diuinis altius actis?
Nulla typis poſſunt nobiliora dari.

MARTIVS GINETTVS S. R. E. CARDINALIS, ET SVMMI PONTIFICIS VICARIVS.

Anagramma. r. *omiſſum.*

VIR ISTE, INSIGNI VIRTVTE, FACTIS, MICAT CLARISSIMVS APVD OMNES.

In Anagramma.

V*Irtute*, & *Factis* cum ſit *clariſſimus* Orbe,
Hunc dignum *ſummo* quis neget eſſe *gradu*?

In eiuſdem Eminentiſſimi Principis *honorem*,

ex alluſione ad Roſas, *quæ in ipſius* Stemmate *cernuntur*, & *ad* Apes, *Inſigne* VRBANI VIII. Pont. Max. *Gentilitium.*

FRagranti, ſophiæ grato, & pietatis odore,
Sunt Gentilitio Stemmate iure ROSÆ
Hic, quis? GINETTVS, Rector quem Maximus Orbis
VRBANVS, rubræ cinxit honore togæ.
Cui quoque plura ſui ſigna vt præberet amoris,
Plura idem VRBANVS munia clara dedit.
VRBANI tantum ne quis miretur amorem:
Hoc APIS, hoc proprium eſt, vnicè amare ROSAS.

IVLIVS

IVLIVS ROMA S. R. E. CARDINALIS, MEDIOLANENSIS.

Anagramma: n, r, *verſis in* h, t.

AN MORS ILLIVS

DIE, HORA NATALIS EIVSDEM? SIC.

Sic equidem contigit; expletis enim annis LXVII, eadem die, eademq; hora, qua natus, obiit, vt Romæ legitur in eius lapide Sepulchrali, in Templo S.Caroli, Nationis Mediolanenſis.

In Anagramma.

ex verbis apud Matthæum, *cap. vigeſimo quinto.*
Vigilate, qúia neſcitis diem, neq; horam.

IVLIVS effulgens oſtro, cognomine dictus
ROMA, die, atque hora, qua fuit ortus, obijt.
Quàm meritò ignaros horæ, ignaroſq; diei
Perpetuò vigiles nos iubet eſſe Deus.
Quis ratus hoc eſſet venturam tempore mortem?
Tempore, proh, quàm non affuit illa ſuo.
Namque dies, & quæ vitæ quondam hora refulſit,
Ipſa, dies mortis, mortis & hora fuit.

In

In honorem Eminentiſsimi Principis
IVLII MAZARINI S.R.E. CARDINALIS,

cuius ſumma opera

impoſitus tandem fuit finis diuturno bello inter Gallos, *&* Hiſpanos.

Alluſio fit ad Sidera, *&* Faſcem *Stemmatis ipſius.*

Heu, Mars ſæuit adhùc, Bellonaque prælia miſcet?
  Pax inquit: nullus, qui premat arma, datur?
Quandiù in ingentes aſsurgent corpora aceruos,
  Atque cruentatis diffluet æquor aquis?
Surge, age, & hoſtiles, IVLI admirande, furores
  Præcine compreſsos: SIDERA fauſta tibi,
Quo non maiorem tot ſæcla dedere peracta:
  Cui dederint nullum ſæcla futura parem.
Surge, age: Stemma tibi quoque proſpera nunciat; arma,
  Eſt MAZARINÆ, ſtringere FASCE, manus.

Digitized by Google

Eminentiſsimo Principi

FLAVIO CHISIO S.R.E.CARD.

ALEXANDRI VII. PONT. MAX.

Ex Fratre Nepoti,

Auctor carminum ſuorum felicitatem acceptam refert

per Epigrammata *duo*

in duo Anagrammata *ſequentia*.

FLAVIVS CHISIVS.

Anagrammata II.

I. HIC FVIT LAVS SVIS. *t, additum*
II. HIC ALIS VSVS FVIT. *t, additum.*

In Anagramma I.

cum alluſione ad Montes, *&* Sidera
Stemmatis ipſius.

NOmen, Cognomenque tuum quod nobile promit,
  Quàm verum, *Flaui*, nunc mea Muſa videt.
Vocibus hiſce, SVIS FVIT HIC LAVS promitur; ex te
  Carminibus famuli laus fuit orta tui.
Montibus ecce tuis, te Mæcenate vehuntur,
  Sideribuſq; nitent lucida facta tuis.

In

In Anagramma II.

FLauius ecce, ſuis, Muſam mihi protegit alis:
Sic nihil aduerſi carmina noſtra timent.
O Felix! ALIS FVIT HIC tutricibus VSVS:
Muſa ſub his alis noxia nulla pauet.
Scilicet alarum tanti ſub *Principis* vmbra
Infeſto ardori non locus eſſe poteſt.

In honorem Eminentiſsimi Principis IACOBI ROSPIGLIOSII S.R.E. CARD. CLEMENTIS IX. PONT. MAX. Ex Fratre Nepotis.

ATlantem falsò ſtellatæ pondera molis
Suſtinuiſse ferunt, Alcmena onerique creatum
Subiecisse humeros, multis ſculpturaque falsò
Marmoribus, multiſque notat pictura tabellis:
Verus Atlas, CLEMENS Patruus tuus, ipſeque vetus
Alcides, IACOBE, illi qui fortiter hæres.
Ipſi Orbem regere immenſum ſuprema Poteſtas
Tradidit, atque humeros eadem recreare ſeniles,
Magne Heros, IACOBE, tibi, cui, auguror, idem
Poſcet honor, triplici caput irradiare corona,
Toti oneri ac validè ſupponere terga decoro.
Augurium felix: onus, vnus, grande ſubibis:
In te totum incumbet onus; moderaberis vnus
Omnia; mira iubent tua ſic prædicere facta:
Qui tibi totus erit, nunc parti aſſueſce laboris.

In laudem Eminentiſsimi Principis

IOANNIS NICOLAI DE COMITIBVS S. R. E. CARD.

Anconæ Epiſcopi

poſt Illuſtriſsimum Dominum

ALOYSIVM GALLVM,

ex verbis D. Petri Apoſtoli, *epiſt.* 1. *cap.* 5.

Aduerſarius veſter Diabolus, tamquam Leo rugiens, circuit, quærens, quem deuoret.

cum alluſione ad vtriuſque Stemma Gentilitium.

QVem voret, vt rugiens Leo, Dæmon circuit hoſtis:
Clamat, cui primo Chriſtus ouile dedit.
Hunc vigil Anconæ cuſtos ALOYSIVS Vrbis,
Cauit ab irati Dæmonis ore, gregi.
Ac veluti GALLVS (GALLVS nam voce Leonem
Effugat) hunc clamans, iuſsit abire procul.
Fauſta equidem tanti cura Paſtoris ouili
Sors fuit Anconæ, maxima & orta quies.
At dum IOANNES cuſtos NICOLAVS ouile
Seruat idem, Anconam ſors mage fauſta beat.
Iſte precum pennis, AQVILA vt ſublimis, in altum
Dum volat, Anconam ad ſidera tollit humo.

In honorem Eminentiſſimi Principis
LEOPOLDI MEDICES S. R. E. CARD.

LEOPOLDVS MEDICES, FRATER FERDINANDI II. MAGNI HETRVRIÆ DVCIS.

Anagramma cum carmine. o, *additum.*

HIC RADIIS VITÆ RADIANS, SPLENDORE REFVLGET MVNDO, DEO, MIRIFICE.

In Anagramma.

HIC RADIIS VITÆ RADIANS, SPLENDORE REFVLGET
MIRIFICE MVNDO, mirificèq; DEO.
Nominis has referunt laudes, elementaq; vocum,
Quas ſibi coniunctas Nomen habere patet.
Clariùs at multò, quàm nunc elementa loquuntur,
Exprimit, & laudes optima vita canit.

Ad Eminentiſſimum Principem
CAMILLVM MAXIMVM S.R.E.CARD.

NOmine non ſolùm, pariter Cognomine ſummus,
Et Roma patria ſummus es, atque gradu.
Excelſiſq; Camille, tuis es Maximus actis:
Maximus, ò vtinam, ſis quoque Sede Petri.

In honorem Eminentiſſimorum
S. R. E. CARDINALIVM.

EMINENTISSIMVS.

Anagramma purum.

EN ISTE IN SVMMIS.

In Anagramma,

ex illo Annæ, 1. *Reg.* 2.

Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos Orbem.

O Strigeros inter *Proceres* quicunque togatos
E nitet, in ſummis enitet, alta gerit:
Scilicet excelſi *Proceres* excelſa capeſsunt,
Et *Proceres* ſummi non niſi ſumma regunt.
Hos ſuper impoſuit Deus Orbem prouidus: Orbis
His in *cardinibus* vertitur, & regitur.

De

De *ſublimis Vatis* FABII CHISII, *poſtea* ALEXANDRI VII Pont. Max.

pulcherrimo Libello, *cuius inſcriptio*,

PHILOMATHI MVSÆ IVVENILES;

ab eodem, Auctoris amantiſſimo, miſſo ad Auctorem;

AD MARCVM VALERIVM MARTIALEM,

cuius diſtichon ad AVITVM dat initium huic Epigrammati.

SVnt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura,
Quæ legis hic: aliter non fit, Auite, liber.
Hoc tu, Marce, canis; multi hoc cecinere Poetæ,
Talia nam veſtris carmina clauſa libris.
Non ita ſublimis PHILOMVSVS carmina pangit;
Ecce Liber: mira hic carmina cuncta patent.
Non mala, non quædam hic mediocria; ſunt bona cuncta:
Vah, neſcis: *aliter fit* quoque, Marce, *liber*.

De ſapientiſsimi Senis ,

IOANNIS BONÆ S.R.E. CARDINALIS ,

vtiliſsimo Libello , inſcripto ,

MANVDVCTIO AD COELVM ,

in quo continetur

Medulla Sanctorum Patrum , & veterum Philoſophorum .

AD LECTOREM .

HOc tibi quot, Lector , bona ſunt incluſa Libello !
Porrigitur quantum nunc tibi , Lector , Opus !
Omnia quæ multis alibi diffuſa leguntur ,
Collecta hic paucis , obuia , Lector , habes .
Sanctorum Patrum , Veterumque hic dicta Libellus
Exhibet , ad Cœlum queis via plana patet .
IOANNI perſolue BONÆ pro munere grates :
Si neſcis , tanti muneris ille dator .
Ipſe manu ad Cœlum , cuſtos velut Angelus alter ,
Ducit , dum manui dat ſua ſcripta tuæ .
Eſt facilis veluti quædam manus , iſte Libellus :
Iunge manum manui , Lector , & aſtra petes .

Digitized by Google

In honorem eiuſdem Eminentiſſimi D.

ob eumdem Libellum, inſcriptum,

MANVDVCTIO AD COELVM.

Ex ſignificatione Nominis ipſius,

cum alluſione ad eiuſdem Cognomen.

AD LECTOREM.

IOANNIS cape clauſa BONÆ bona quiſque Libello,
Totq; bona, vt multus ſit numerare, labor.
Cuncta tibi veterum ſunt hic documenta Sophorum,
Cunctaq; Sanctorum ſunt documenta Patrum.
Dat bona IOANNES ſolito de more: IOANNES,
Gratia: nil aliud, quàm bona *gratia* dat.

AD EVMDEM LECTOREM

In Nomen, Cognomenq; eiuſdem clariſſimi Auctoris.

IOANNES BONA, tu voces ne dixeris eſſe
Tantùm; etiam ſenſum, ſi bene pendis, habent.
Quem pariant ſenſum, poſcis? cognoſce: IOANNES
Dat BONA: tu, Lector, ſi ſapis, iſta cape.

Ad

Ad FLAVIVM VESPASIANVM Imp.

Qui morti proximus conſurgens, ac nitens, *inter manus ſubleuantium, vt* Suetonius *tradit, extinctus eſt.*

MOrtis in aduentum cur, Veſpaſiane, cubili
Surgis? an, incutias vt pede ſtante metum?
Mors nullum, cum falce, timet: pedibuſnè migrare
Hinc cupis? è vita, qui iacet, ille migrat.
An, Mortem vt places, ſtandi venerar is honore?
Mors flecti nullo ruſtica, honore poteſt.

AD EVMDEM.

In idem argumentum.

IMperio modus impoſitus: regnare quid vltrà,
Morte vel inuita, Veſpaſiane, cupis?
Cur ſtas? cur inſtas? iam ſubdere colla memento,
Subditus & Mortis ſceptra tremenda cole.

DE EODEM.

In idem argumentum.

PRoxima terrorem cui Mors non incutit? atrox
Quem non terrificat, dum ſua tela parat?
Flauius applauſu dignus; Mors proxima namque
Cum foret, intrepido conſtitit ille pede.

Ad

Digitized by Google

Ad eumdem FLAVIVM VESPASIANVM Imperatorem.

De perpetua eius vigilantia, vel ipſa in morte ſtantis, *cum diceret, eadem* Suetonio *tradente in ipſius vita*,

Imperatorem ſtantem mori oportere,

TOrpebas nunquam; præclaris ſemper agendis,
Vixiſti, Flaui Veſpaſiane, vigil.
Germani attoniti teſtes, teſteſque Britanni,
Et valida Vrbs Solymûm ſollicitata manu.
Pacis & indigni teſtantur culmina Templi,
Amphitheatralis, Martis & Vrbe, labor.
Oppidaque innumera afflictum reparata per Orbem,
Terrarum fremitu, ſeu reſoluta rogis.
Te quoque Mors vigilem; te ſtantem proxima vidit,
Audijt &, ſtando Principis eſſe mori.
Quàm tibi diſsimilis, quem preſsit inertia, princeps;
Tu quoque morte vigil, ſemper at ille iacet.

DE EODEM.

Qui fuit vultu, veluti nitentis.

Vt in ipſius vita Suetonius *idem ſcriptum reliquit*.

QVo riget ingenti rector ſub pondere, vultu,
Flauius hoc vultu Veſpaſianus erat.
Nixum animi exterior ſignabat forma latentem;
O quantum mentem Principis angit onus!

DE

DE GRIMALDO X. LONGOBARDORVM REGE,

Qui cum nono die poſt phlebotomiam in brachio factam, telum in columbam direxiſset, ſtatim erumpente ſanguine, exſpirauit.

ex Diacono.

LOngobardorum decimus Regnator, in arcum
Vix nixus telum torſerat in volucrem,
Cum miſer occubuit, ſubitò erumpente cruore:
Tum quoque nam telum Mors iaculata ſuum.

ATYS FILIVS CROESI LYDORVM REGIS,

antea mutus, cum Cyri *militem, nudato enſe ad patris necem irruentem videret, clara voce locutus, illi vitam conſeruauit.*

ex Herodoto, & Gellio.

PAtris vt in cædem vidit ſtricto enſe ruentem,
Abrupit linguæ vincula mutus Atys,
Clamauitque: Patrem, miles, ne cæde: repente
Irrita conuerſus reddidit arma pater.
Prima Atys ò quanta verba vtilitate profudit!
Nullius vtilior prima loquela fuit.

DE

DE ALCONE FILIO ERICHTHEI REGIS ATHENIENSIVM,

ſagittario admirabili,

Qui cum filium ſuum à ſerpente conſtrictum aſpexiſſet, tanta arte direxit ſagittam, vt ſerpentem occiderit, filio prorsùs intacto.

SOpito implicitum Nato pater anxius Alcon
Aſpiciens colubrum, protinus arma capit;
Audacemq; vibrans telum, bene cautus, in hoſtem,
Illæſo Nato, tangit, & interimit.
Quilibet Alconis mirari deſinat ictum:
Direxit ferrum miſſile patris amor.

DE EODEM ALCONE.

In idem argumentum.

CVm puer Alconis frueretur munere ſomni,
Repens implicuit membra tenella, fera.
Quàm ſolers tunc Patris amor! tanta arte vibrauit
Telum, vt ſerpentem fixerit, haud puerum.
Cæcum qui finxit, cæcum male finxit Amorem:
Tam bene collimans, non mihi cæcus Amor.

DE

Digitized by Google

DE PROSPERO PHILIPPO PHILIPPI IV. HISPANIARVM REGIS FILIO,

Cuius Natalis dies fuit vigeſimus octauus Nouembris, quo die in Martyrologio Romano *ponitur Natalis* SS. CRESCENTIS, FLORENTIANI, & FELICIS, *ad quorum Nomina fit alluſio.*

ECce, diù Proles QVARTO exoptata PHILIPPO
Auſtriaco, PROSPER natus: Iberus ouet.
Hic *creſcet* virtute Puer, *floreſcet* & actis
Grandior; huic cingent laurea ſerta caput.
Felix ſemper erit: vera auguror omina: firmat
Omina Natalis nunc mihi cuncta dies.
Creſcet, floreſcet terris, *felixq;* perennè:
Quàm bene ſignatus nomine PROSPER, hic eſt.

AD EVMDEM PHILIPPI IV. FILIVM, tenerrima ætate è terris ereptum,

cum alluſione ad eorumdem Sanctorum *Nomina ſupra allata.*

AVſtriaci Soboles celſa, inclyta, fauſta PHILIPPI,
Angelicos inter iuncte Puelle choros,
Creſcere non terris, neć te *floreſcere* terris
Sors erat; haud *felix* Orbe futurus eras.

Sors

Sors tua maior erat: cecini falſa omina quondam:
Omina Natalis lux meliora dabat.
Creſcet, floreſcet, felixq; futurus Olympo
PROSPER erit: vera hæc omina, PROSPER, erant.

AD EVMDEM PROSPERVM PHILIPPVM,

vt genitorem PHILIPPVM reddat *verè proſperum*.

VIx orte terris, gaudijs Cœli fruens;
Proſper Philippe, da *Philippum proſperum*.
Nam vera terris quæ datur fœlicitas?
Curæ prementes non ſinunt quieſcere
Mentem regentis; ſemper, eheu, anxia
Mens excubat ſucceſsuum formidine.
A Rege Regum, Nate, Cœli gaudia
Patri petas; nil gratius rogaueris.
Iam tædet hunc, iam tædet æſtuantium
Rerum tot inter permanere vortices.
Libens relinquet ſceptra cunctis CAROLO
Magnæ ſpei, ſummæ futuro Gloriæ.
Sedes petat, fac ille tandem Cœlicas;
Sic *proſper* ille verè, eriſque lætior,
Proſper Philippe iam *Philippo proſpero*.

PHI-

PHILIPPVS IV. AVSTRIACVS REX HISPANIARVM, MORTVVS MADRITI.

Anagramma purum,

in quo carmen hexametrum.

MAXIMVS HIC VIVIT POPVLIS SVPRA ASTRA TRIVMPHANS. RIDE VIR.

In Anagramma.

cum alluſione ad Regiam Stemma.

AD HISPANIAM.

REge quid è terris ploras, Hiſpania, rapto?
Rex tuus eſt Cœlo redditus, vnde datus.
Chriſtiadum huic Zelus fidei, tutelaque ſemper;
Hæreſis hic iuſsit ſe dare monſtra fugæ.
MAXIMVS HIC VIVIT POPVLIS SVPRA ASTRA TRIVMPHANS,
Altior aſpiciet rectiùs vnde acies;
Hoſtiles acies, coget quas illicò, Chriſti
Maiori armatus robore, abire procul.
Nunc quoque *Turris* erit tibi Rex, Hiſpane, Leoque
Parcet ſubiectis, colla ſuperba premet.
Parce igitur lacrymis; RIDE, VIR Ibere: *Philippi*
Mors gaudere magis, quàm lacrymare iubet.

Idem

Idem Epigramma

In funere

PHILIPPI IV. REGIS HISPANIARVM

carmine Phaleucio

expoſitum.

R Egis funere quid *Philippi*, Ibere,
Nunc vultus madet imbre lacrymarum?
Cœlos, vnde datus, redit *Philippus*.
Cui veræ fidei ardor, & perenne
Tutamen fuit, hæreſiſque tetra
Semper qui procul eſse monſtra iuſsit:
SVPRA MAXIMVS ASTRA nūc TRIVMPHANS
HIC VIVIT POPVLIS dies per omnes.
Aduerſas modò copias videbit
Cœlis rectiùs, altior, magiſque
Chriſti robore ſtrenuus fugabit.
Turris nunc quoque, nunc erit *Philippus*:
Subiectis quoque nunc, *Leonis* inſtar
Parcet, feruidus atterens ſuperbos.
Ergo lumina terge: quid dolendum?
Fletum iam preme: morte nunc *Philippi*
RIDE, VIR, magis, ò Ibere, ride.

De ampliſsimo PALATIO, Pariſijs, A Rege LVDOVICO XIV. excitato.

ORbe Domus maior: LVDOVICVM non capit Orbis
Summè auctum excelſis actibus; ipſa capit.

In honorem ANNÆ MARIÆ AVSTRIACÆ, ET BORBONIÆ Vxoris LVDOVICI XIII. GALLIARVM Regis, Reginæ ſummæ pietatis ſplendore conſpicuæ.

VItæ almæ candore nitens, & ſanguine Regum
Hiſpanis, Gallis ANNA MARIA ſuis,
Sat magna vt ſemper vixit pietate, ſupremum
Sat magna clauſit ſic pietate diem.
Magna ſat illa ob jt, Cœloque recepta, corona
Fauſtior emerita eſt nobiliore ſui.
Sic Regina quidem ſublimior: antè coronam
Terrenam, empyream, nunc ſuper aſtra gerit.

Vide apud Auctorem in Anagrammaton *libello, in laudem eiuſdem* Reginæ, *noua inuentionis* Elogium, *ad quod hic alluſum fuit.*

DE

DE CHRISTINA SVECIÆ REGINA,

Quæ abiurata hæreſi, Romam venit, ſedente ALEXANDRO VII. Pont. Max.

Epigrammata II. in Anagramma

deductum ex ſequentibus dictionibus.

CHRISTINA SVECIÆ REGINA.

Anagramma. n, *in* a.

NIGRA HÆRESI CÆSA, VICIT.

I. Epigramma.

HYdram Lernæam facibus, teliſq; peremptam
Herculeis, Phœbi læta caterua canit.
Plurima ſed Vates faciles mendacia fundunt;
Nex Hydræ, Vatum fabula vana fuit.
Quod *Chriſtina* fide proſtrauerit Hæreſis Hydram,
Vera quidem fama eſt, Roma oculata probat.
Herculis ex Hydra nulla eſt victoria; NIGRA
HAERESI at hæc CAESA, VICIT, vt omen erat.

II. Epigramma.

AVſa ferina domant corpus, non ſternere mentem
Poſſunt; mens corpus robore namque præit.

Attamen exſuperat mentem hæreſis impia; quam quis
Non dicat monſtrum fortius eſſe fera?
Huic CHRISTINA tamen, ſacro munimine fortis,
Cœleſti potuit frangere colla fide.
Quid tantùm iactat victores fama ferarum?
Hæreſeos vires plus, domuiſſe, fuit.

CLEOPATRA ÆGYPTI REGINA,

(Quæ nauali prœlio apud Actium Epiri promontorium Antonio *deuicto, admotis corpori ſerpentibus, ſe intrepidè interemit)*

ſe cum lacrymis ſculptam, queritur.

QVòd me dat ſolido ſpectandam ex marmore ſculptor,
Cum fuerim conſtans, hoc ratione facit.
Quòd tamen hic guttas lacrymarum lucibus addit,
Cum nunquam flerim, me male flere iubet.
Nam mihi dum corpus lethali vipera morſu
Perſtrinxit, lacrymis non maduere genæ.
Non fleui (artificis manus ò temeraria) viuens;
Poſt mortem, vel de marmore facta, fleo.

Eadem CLEOPATRA in idem.

ME fortem, ſumma dedit arte ex marmore ſculptor;
Sed lacrymas nulla lucibus arte dedit.

EADEM

EADEM

in idem, ad Spectatorem.

SPectator, ſolidam me, ex marmore diſce, fuiſſe;
Sculptorem, ex lacrymis diſce, fuiſſe leuem.

De Filia Helchiæ SVSANNA, fœmina honeſtiſſima,

ab impuris Senibus fruſtrà tentata. de qua Dan. cap. 13.

ARte, Senes fœdi, caſtam maculare Suſannam
Nunc tentatis aquis: hic ſita vafra Venus.
Vim tamen hæc veſtram, (fruſtrà contenditis arte,)
Ecce, vel in medijs firma retundit aquis.
Nam non ſola in aquis Venus eſt; ignara Senectus:
Hic quoque ſunt ſcopuli: diſce; Suſanna docet.

Argutiæ cauſa

excuſatur LVCRETIA Romana filia TRICIPITINI Vrbis Præfecti,

quæ, vt ſuſpicionem effugeret infamiæ, violari ſe à Sex. Tarquinio *paſſa eſt, pauloq; poſt cultro ſe confodit.*

TArquinij turpem vim paſſa LVCRETIA, fodit
Intrepidè, ſe ſe fortior, enſe, latus.

Roma, caue, caue, Roma, putes, voluiſſe cruorem
Fundere, quo lueret contemerata ſcelus.
Vis vbi, non ſcelus eſt; caſti penetralia cordis
Inſpicere vt poſſes, abſcidit illa latus.

De nobiliſſima LVCRETIA Patauina,

Quæ rure, italicè, Quiete, *appellato, vbi horrendis ſomnijs perſæpe vexata fuerat, reuerſa Patauium, ab* Orcano (*hoc nomen occiſori finxit* Auctor) *cuius impuræ voluntati honeſtiſſima fœmina aſſentiri noluerat, noctu miſerè enacata fuit.*

PEctora dum placido, curis agitata, ſopore
Nox leuat, & cunctis otia blanda facit,
Horribili trepidat commota LVCRETIA viſu,
Mœſta trahens mœſtas rure Quiete moras.
Ad patrias Patauj ſedes redit indiga pacis,
Spectra ſibi noctis quam rapuiſſe dolet.
Hic conſueta tamen perturbant ſomnia mentem;
Conſueta educto territat enſe manus.
Heu, vbi, vbi miſerę pax denique priſtina, ſi vel
In media, in duplici nulla Quiete quies?

Eadem

Eadem LVCRETIA LVCRETIÆ Romanæ præponitur.

NOcte, necem intentans Orcanus, iura iugalis
Audax aggreſsus contemerare tori.
Obſtitit infami tunc pura LVCRETIA labi,
Et, quàm fœdari, maluit illa mori.
Longè Romanæ Patauina LVCRETIA præſtat,
Admiſsum nulla cui ratione nefas.

Ad eamdem LVCRETIAM Patauinam.

QVæ te ſopitam nocturna LVCRETIA imago
Terrebat, minitans, acta furore, necem,
Quamuis nulla fides ſpectris, fuit, heu, tamen illa,
Heu, fuit illa tui nuncia vera mali.

In honorem MARTHÆ MARCHINIÆ Neapolitanæ egregiæ latinis carminibus Poetriæ,

Anagramma cum Epigrammate,

editum olim Romæ,

præpoſitumque eiuſdem MARTHÆ Epigrammaton Libellis.

MARTHA MARCHINIA NEAPOLITANA.

Anagramma purum.

HÆC NAM THALIA? NON; AT PRIMARIA.

In Anagramma.

HÆC NAM (Lector ais) velut altera Muſa THALIA?
NON equidem; nimium diſpare voce canit.
Comica laſciuo gaudet ſermone Thalia,
Vt Vatum Vatem concinuiſse ferunt.
Parthenopæa bono ſed Virgo perſonat ore,
Verſibus vt ſacris noſcere quiſque poteſt.
Non hæc Muſa procax, velut AT PRIMARIA Muſa,
Quæ voce à pulchra, Calliopæa ſonat.

In

In laudem MARIÆ PORTIÆ VIGNOLÆ Romanæ

hetruſcis carminibus admirabilis,

Anagramma cum Epigrammate.

MARIA PORTIA.

Anagramma. *a, in e.*

MIRA POETRIA.

In Anagramma.

CVm ſacra, tùm Cœlo quæ ſe ſublimia tollunt,
Proſequitur miris *Portia* mira modis.
Nunc ſuperum celebrat Numen, caſtamque Parentem,
Et nunc Aligeris, Cœlitibuſque ſonat.
Nunc canit Heroas, virtus quos extulit, & nunc
Elatas Moles altius ire iubet.
Indignatur humum tam MIRA POETRIA; & aſtra,
Aſtra, quibus digna eſt, carmine tecta, petit.

De obeliſco Caracallæ, *iuſſu* Innocentij X. Pont. Max. *erecto Romæ, in platea Agonali, qui ſupra ſexto carmine indicatur, vide epigramma primum libri ſuperioris.*

ARISTOTELES.

Anagramma purum.

ISTE ARTE SOL.

In Anagramma.

QVisquis Ariſtotelem, clara ſophiæ arte nitentem,
Eſſe ait obſcurum, non habet ille oculos.
ISTE velut SOL ARTE: nitet Sol toto vt in Orbe,
Arte ita Ariſtoteles clarus vbique nitet.

Epitaphium
M. TVLLII CICERONIS.

ELoquij Pater hic Latij, patriæque ſepultus,
Cui, vel poſt cædem libera verba tonant.
Nunc quoque, nunc clamans, auſa improba pandit, & hoſti
Obijcit intrepidus facta nefanda ſuo.
En reſonat valida, per ſcripta Philippica, voce:
His equidem, vt lingua, dira, ſceleſta notat.
Sic, quamquam Marcus ceruice m Antonius vltor
Abſcidit, linguam abſcindere non potuit.

De Vate PHILETA Coo,

Qui tam exili erat corpore

(*vt* Ælianus, *&* Athenæus *tradit*)

vt neceſſe fuerit pilas plumbeas eius pedibus apponere; ne ventorum flatu raperetur.

PRæceptor docti Ptolemæi Regis, in Orbe
Cui peperit toto compta Elegia decus,
Firmauit plumbo veſtigia fluxa Phileras,
Ne raperent ſubiti tenuia membra noti.
Tam tenue, illi corpus erat? (ſic Zoilus inquit)
Virtus tam gracili corpore tanta fuit?
Cui ego: permagnam nodoſa intra oſſa, laceroſque
Indomitos, ſophiam forſitan eſſe putas?
Per te ſi reſidet robuſto in corpore virtus,
Virtutis, gerulis portio maior erit.

AD P. VIRGILIVM MARONEM,

Vt ſe ROMAM conferat,

ex puro Anagrammate ſequenti.

ROMA. Anagramma purum. MARO.

ROma, MARO, Maro, Roma, vocat: cognomine Roma
Ecce tuo reſonat: te, Maro, Roma vocat.
Roma, Maro, Maro, Roma vocat: te Mantua mater
Longiùs haud potis eſt continuiſſe ſinu.
Magna ſit illa licèt, tu maximus: Vrbe recede;
Congruus in patrijs ſedibus haud locus eſt.
Romæ, quæ cunctas inter caput extulit Vrbes,
Iure, caput vatum te decet eſſe, Maro.

VIRGILIVS MARO.

Anagramma purum.

SVM GLORIA VIRI.

In Anagramma.

ARma, Virumque canens, Æneam nomine, ſummi
Virgilius Maro SVM GLORIA ſumma VIRI.
Authorem Æneidos ſi quis me fortè negauit,
Nunc premat os, victus vocibus ille meis.

AD POETAM

Immortalis Nominis cupidum,

Qua ratione carmina componenda, vt pariant immortalitatem.

ex ſequenti Anagrammate *puro,*

quod producit MARO *vates immortalis.*

MARO. Anagramma purum. MORA.

ÆTerno poſſis vt viuere nomine, Vates,
Euripides, Flaccus te docet, atque Maro.
Conatu, ſudore, triumq; labore dierum
Tres quondam verſus condidit Euripides.
Contrà Alceſtides iactabat carmina centum
Vno dumtaxat fundere poſſe die.
Nulla Alceſtidi propero ſed fama; perennant
Euripidis magna carmina facta mora.
Carmina pangentem Flaccum, quem ſemper ad aſtra
Fama feret, iuuit vertere ſæpe ſtylum.
Carminis & ſtudio tenuit mora longa Maronem,
Perpetuus gaudet cui honor ire comes.
Viuere vt Euripides ergo, Flaccuſq; Maroq;
Optas? ſcribenti ſit tibi amica MORA.

Digitized by Google

De Vrbe ROMA vetere,

Cuius quoque rudera non ſine admiratione ſpectantur.

QVíſque oculis, moles effractas aſpicit Vrbis,
Attonitis, & quæ templa operoſa iacent.
Amplas quiſque domos ſtratas, lapſa atria, thermas
Et latè ſtratas, lapſa theatra ſtupet.
Omnibus ò quanto foret integra Roma ſtupori,
Si ſtupidos animos diruta Roma facit.

DE EADEM.

ex illo:

Roma ſub Roma iacet.

EST vbi Roma vetus? ſenio reſoluta recumbit:
Roma vetus, ſenio debilitata, ruit.
Nunc noua Roma viget; vetus eſt Morte obruta: & vrbes
Mors iubet imperio procubuiſſe ſuo.
Roma vetus perijt: loca quære profunda; ſepultam
Cernes: *ſub Roma Roma* ſepulta *iacet*.

Idem Monoſticho expoſitum.

NVnc vbi Roma vetus? Morte obruta: cerne; ſepulta eſt.

De Statua ROMÆ cum Cruce.

HÆccine Roma? caput nudum eſt; lorica nec armat
Corpus, nec criſpat feruida tela manus,
Sed placidos oculos tollens ad ſidera, dulci
Amplexu adſtringit relligioſa Crucem.
Quid ni? Roma quidem, meliorq; eſt: arma reliquit,
Quæ ſunt ſæuitiæ; quæ pietatis, habet.

Quare omnibus ROMA placeat.

ex Nomine AMOR, *quod* ROMA *parit, litteris inuerſis.*

AD PAMPHILVM DE PEREGRINIS.

NOſcis, cur Romæ cuncti capiantur amore?
Roma, AMOR eſt; cunctis, Pamphile gratus amor.

In idem,

AD EVMDEM.

ex eodem,

& ex Anagrammate MORA, *quod* ROMA *producit.*

SI tibi Roma placet, ſi, Pamphile, Roma morari
Cogit, quid mirum eſt? *Roma*, AMOR, atq; MORA eſt.

TEM-

TEMPLVM DIVI PETRI ROMÆ IN VATICANO.

Anagramma purum.

EN MODO NITET, APPARET MIRACVLVM VIII.

In Anagramma.

PYramides Memphis, muri Babylonis, & ingens
Dictynnæ Templum, Turris & alta Phari;
Iuppiter ex ebore, Heliadum Patris ærea Moles,
Et Mauſolei pondera celſa Tholi,
Septem Orbis miracla; vehit nunc inclyta Roma
Octauum: Templi culmina ſacra PETRO.

In Opus marmoreum,

iuſſu INNOCENTII X. Pont. Max.

Romæ, in Vaticana Baſilica *locatum, exhibens*

SS. PETRVM, *&* PAVLVM *cum eductis enſibus in* ATTILAM *Regem, cui obuius* S. LEO *Magnus aſpicitur.*

ATtila dum Romam ſuperi ruit acre flagellum
Numinis, vt totam diruat enſe, rogo,
Occurrit LEO magnanimus; timet ille, LEONI
Protinus ac parens, frænat, vt agnus, iter.

Scilicet,

Scilicet, & PETRVM gladio, PAVLVMq; minantes
Horreſcens, Magni iuſſa LEONIS obit.
Sculpſit Alexander mira hoc Algardius arte:
Marmorea incutiunt ſigna vel ipſa metum.

THEATRVM DIVO PETRO APOSTOLO ERECTVM ROMÆ IN MONTE VATICANO.

Anagramma purum.

HOC TOTO MVNDO ERIT CORONATVM,

ET PIA MEMORIA, ET ÆTERNO PLAVSV.

In Anagramma.

Ad Excellentiſſimum Principem

AVGVSTVM CHISIVM.

AVGVSTINI Principis Farneſij Filium, ſublimis ingenij Adoleſcentem.

PRiſca verecundo ſileat Roma ore Theatra,
Dum Vaticanus ſurgit ad aſtra labor.
Tollitur innumeris Moles operoſa columnis,
Præſenti Moles obſequioſa PETRO.

Et ſimulacra ſacro tollens pia culmine, iuſſu
Pontificis ſummi celſior aſtra videt.
Quantum cernis Opus! non *Magni* hæc pondera Molis,
Maximi ALEXANDRI vecta ſed imperio.
Molis erit tantæ quæ digna corona? corona
Tantæ equidem Molis fama perennis erit.
Fama coronabit tam grande æterna *Theatrum*:
Æternâ auguſtum fama coronat Opus.

In Opus æneum,

iuſſu ALEXANDRI VII. PONT. MAX. erectum Romæ, in capite Baſilicæ Vaticanæ.

Quod eſt Cathedra (*in qua* D. PETRI lignea Cathedra *incluſa*) *iuxtà quam* SS. Ambroſius, Auguſtinus, Athanaſius, & Ioannes Chryſoſtomus.

Ad egregium Oratorem, & Vatem P.SIGISMVNDVM à S.SYLVERIO, Florentinum, Religionis Paup. Matris Dei, Scholarum Piarum.

Sigiſmunde, PETRI ô quales hærentia Sedi,
Oſtendunt populis ænea Signa Viros?
Chriſtadum fidei tutamina fortia, Patres,
Quos meritò exornat Pontificalis honor.
Præualidos Patres, præſtantes robore, quorum
Pectora, nulla vnquam frangere vis potuit.

Teſtis

Teſtis adeſt Italus ſolidæ virtutis, Achiuus
Teſtis item, teſtis totus & Orbis adeſt.
Quàm bene ALEXANDER iubet ænea ſurgere Signa:
PETRI qui Sedi nititur, æneus eſt.

De maxima BIBLIOTHECA Vaticana.

cuius olim LEO ALLATIVS Chius cuſtos, vir omni doctrinarum genere clariſsimus.

QVis locus Orbe tomis toto cumulatior? omnes
Vaticana præit Bibliotheca locos.
Omnigenæ hic ſophiæ cum ſint monumenta, Leoni
Allatio, meritò tradita cura fuit.
Vt, cuius, ſophiæ omnigenæ, mens dedita ſemper,
Prompta ſit æqualis Bibliotheca Viro.

In hanc Eiusdem LEONIS ALLATII Libri Inſcriptionem.

APES BARBERINÆ.

Ex Samſonis *problemate lib.* Iudic. *cap.* 14.

De forti egreſsa eſt dulcedo.

DOcta ſub VRBANO quicunque volumina pangunt,
Hos BARBERINAS tu, Leo, dicis APES.
Aptè: melliflua eſt ſapientum lingua Virorum;
Et Stemma VRBANI, Muſaque melle fluit.

P 2 Nec

Nec magis appoſitè inſcribi potuiſſe Libellum
Noſco, Leo, nomen ſi quoque ſpecto tuum.
De forti eſt quondam *dulcedo egreſſa* Leone;
Ex te melliferæ exire videntur APES.

In eamdem, ad EVMDEM, ex eodem.

TV, cuius placidi eloquij mel effluit ore,
Qui BARBERINAS tam bene promis APES,
Samſonis problema tuo præponere libro,
Dulcedo ex forti, quàm, Leo, rite potes.

In honorem VENETÆ REIP. cuius protecto D. MARCVS EVANGELISTA,

ex ſubſequenti Anagrammate, *eruto ex his vocibus*,

SANCTVS MARCVS EVANGELISTA, DIVI PETRI APOSTOLI DISCIPVLVS, ET INTERPRES.

Anagramma purum.

EST ISTE, VT VALIDVS LEO:

PRO CLARIS, AC PIIS VENETIS PVGNANS

TVRCAS DEPRIMIT.

AD

AD TVRCAS.

Apud quos (quoniam bellicoſi) Martem Vates natum finxerunt.

TErris eſse tuis exortum, Thracia, iactas,
Quem belli Numen Muſa iocoſa vocat.
Auſibus hinc magnis temeraria prælia miſces,
Niteris, & Venetas trudere in ima rates.
Sit tibi Mars natus; tibi ſit Mars Numen in armis;
Fortior at Venetis, Dux Leo, MARCVS adeſt.
Sanguine rubra tuo ſemper namque æquora ſpumant;
Perpetua eſt Venetis palma, Leone duce.
Thracia, iam faſtus depone, ſuperba; ſuperbos
Sternere quàm proprium namque Leonis opus.

In eorumdem VENETORVM laudationem; ad quorum Vrbem in aquis ſitam alluditur.

AD EOSDEM TVRCAS.

THrax, Venetos, victus, toties quid in æquore tentas?
Infauſto toties Marte quid arma moues?
Te nondùm Venetæ, potiores viribus eſſe,
Victrices toties, edocuere rates?
Cur noua nunc Venetis molitis prælia? rurſus,
Stulte, tibi proprio damna labore paras.
Eſt tibi cum reliquis metuendum gentibus æquor:
Eſt vnis Venetis æquore tuta fides.

Naufragium cunctis æquor minitatur; at vnos
Tranquillis Venetos ſuſtinet æquor aquis.
Cede, audax, Venetis, Thrax, æquore: in æquore nati
Sunt Veneti; Venetis æquore, terra datur.

In eorumdem VENETORVM laudem.

AD EOSDEM TVRCAS.

ex alluſione ad cornutam Lunam, *quam in vexillis præſeferunt.*

THrax, tibi quis furor eſt? quæ tanta inſania menti?
Quid Venetos, toties victus, ad arma vocas?
Cœlica quos virtus munit, tibi robora frangunt,
Tuque pudore graui robora fracta vides.
Cur fidis Lunæ? cur Lunam tollis ad aſtra?
Deferre auxilium num tibi Luna poteſt?
Non eſt, crede mihi, tibi mens, Thrax, integra: iure
Stemmate Luna micat dimidiata tuo.

N E A P O L I S.

Anagramma, *l. in s.*

O SAPIENS.

In Anagramma.

O SAPIENS, genitrix, Vatumque Neapolis altrix,
Quàm dignè dicta es nomine Parthenope!

Cla-

Clarorum dulci reſonas modulamine Vatum;
Vatibus innumeris tollis ad aſtra caput.
Sincero in primis, PARTV qui VIRGINIS almæ
Virgilio acceſsit proximus, vt tumulo.
Atque Marino Equite, hetruſco quem carmine nullus,
Si Taſsum excipias, vincere adhùc potuit.
Te meritò Vatum Princeps complexus amore;
Te meritò patriæ prætulit ille ſuæ.
Non modò te longo coluit nam tempore, condi
Ipſe, tua iuſsit ſed quoque corpus humo.
Vt, cui viuenti domus olim grata fuiſti,
Defunćto fieres tu quoque grata domus.

ANCONA.

Anagramma. *n, demptum;*

CANON.

In Anagramma.

NOmine, iure, CANO, reſonas, ò nobilis Ancon,
Multorum Vatum fœtibus aućta parens.
Quos inter, tres enumerat Bonarella propago,
Perpetuus meritò quos comitatur honos.
Quotnàm aliæ dederint Vrbes mira arte Poeſis
Æternos, memoret, quem memorare iuuat.
Nec tamen ipſe tuos refero, tot quando dediſti,
Vt tres æternos efferat vna domus.

In laudem LAVRETANÆ Vrbis in Piceno, ob ſacram B. MARIÆ VIRGINIS Domum.

AD CANDIDVM GATTINIVM.

QVi claras Vrbes ob celſa Palatia laudas,
Lauretum quare, Candide, non celebras?
Tam ſublimis ibi Domus eſt, tamque inclyta, vt illi
Æqualis toto non ſit in Orbe Domus.

De Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſsimo D.

D. IOANNE ANTONIO CAPIBLANCHIO,

quem Epiſcopum INNOCENTIVS X. Pōt. Max. creauit.

Alluditur ad Oliuæ *ramum*,

Quem gerit Columba in huius ſummi Pontificis *Stemmate Gentilitio*.

VIſus grata ſalus, ſedans CAPIBLANCHIVS iras:
Teſtis Parthenope, teſtis Ibera phalanx.
Quid mirum, dederit *ſummus* ſi præmia *Paſtor*?
Huic (*oleam* cernas) non niſi pacis amor.

In

In honorem Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi D.

D. AMBROSII LANDVCCII.

Epiſcopi Porphyrienſis,

Ob ipſius Librum, SACRA ILICETANA SYLVA, *inſcriptum, cum alluſione ad D.* Ambroſium *Epiſcopum Mediolanenſem, cui paruulo Apes in labellis conſederunt.*

PLurima quà Senis Ilex vicina vireſcit,
  Auguſtus locus eſt, Relligioſa Domus,
Inſtar Apum, varios, per amœna vireta volantum,
  Virtutum flores hic pia Turba legit.
Turba, Tagaſtæi Doctoris clara propago;
  Monica quam ſancto Mater amore fouet.
Has fluit hæc intrà, pietatis nectare, ſyluas;
  Hanc his Ilicibus mellificare iuuat.
AMBROSII, hæc Apibus ſimilis, bene perſonat ore:
  AMBROSII, hyblæo nectare labra fluunt.

Ad

Ad Illuſtriſſimum, ac Reuerendiſſimum D.

D. CAROLVM MANNELLIVM

Epiſcopum Termulenſem,

Ob Coronam ex prodigijs ab eo per X. Epigrammata contextam, natoque DEO, eiuſque Vicario ALEXANDRO VII. *dicatam.*

NOn flore, argento, aut auro, gemmisue decora,
Infanti offertur grata Corona Deo,
Sed noua, tranſacto non vlli tempore viſa,
Tota ex prodigijs texta Corona datur.
Mannelli admiror, miramque, nouamque Coronam,
Suſpicioque artis pignora tanta tuæ.
Et bene ALEXANDRO noua, mira Corona dicatur:
Pontifici ſummo quæ noua, mira, placent.

In laudem Illuſtriſſimi, Reuerendiſſimique D.

D. IO: CARAMVELIS EPISCOPI.

plurimis monumentis editis clariſſimi.

IOHANNES CARAMVEL EPISCOPVS.

Anagramma purum.

CEV ARCA, OMNIS SOPHIÆ PLENVS,

In Anagramma.

HIc, CEV ARCA, Senex PLENVS SOPHIÆ OMNIS
Edidit ingenij quot monumenta ſui! (liberus,
Tu, quæ *Caramuel* ſcripſit, ne quære doceri;
Sed potiùs, quæ non ſcripſerit ille, petas.
Plurima nam ſcripſit; nam paucula ſcribere omiſit:
Edita quæ non ſunt, promptiùs illa patent.

Ad Illuſtriſsimum D. FRANCISCVM MAGNVM, comitem, Mediolanenſem, miſsum ab VLADISLAO IV. POLONIÆ Rege

ad INNOCENTIVM X. Pont. Max.

cæteroſque Europæ Principes,

Pro ſuſceptione belli contra Turcas.

Epigrammata IV.

Romæ, coram eo, Scholas Pias inuiſente, recitata ab Auctoris Diſcipulis, filijs ſapientiſsimi Viri, Patritij Romani, PETRI DE VALLE, *de quo infrà vide.*

I.

POſt Patrum Patrem, qui MAXIMVS imperat, amplo.
MAIORES alios ſuſpicis imperio.
Grande tuum, Franciſce, decus cui MAXIMVS vni,
Et cui MAIORES bellica vota probant.
Prompta ſatis cauſa eſt, cur te Rex miſerit vnum,
Franciſce, ad tantos conditione Viros.
MAXIMO enim propior, propior MAIORIBVS atque
Qui, Franciſce, foret, non niſi MAGNVS erat.

II.

MAgnus es, ac Magnum celebris te Patria ſpectans,
Protinus extremas ſuadet adire plagas.
Cum modò Sauromatas cernis, Quadoſque penetras,
Cum modò Marcomanos, Auſtriacoſque ſubis.
Hic tibi ſed paruus cum ſit locus, ilicet Vrbem
Euganeam; & Martis mœnia, Magne, petis.
At nec vaſta capit te Roma; Hiſpanica forſan
Excipiet, vel te Gallica Terra ſinu?
Sanè ſi poſses totum luſtrare vel Orbem,
Par tamen in toto non locus Orbe foret.
Diſcurras, & ſuſtineas, FRANCISCE, neceſse eſt:
Quem tibi det, tellus non habet arcta, locum.

Patria

III.

PAtria non ſolùm, ſed te quoque, Magne, Poloni,
Germani, Veneti, Romulidæque vident.
Teque Vrbes cernent aliæ, parteſque:nitescat,
Magne, opus eſt, multis, lux tua multa, locis.

IV.

LVx tibi prudentis quanta eſt, hominiſque diſerti!
Quantum conſilij, iuſtitiæque iubar!
Sauromatæ, Auſtriaci, Hiſpani, Gallique, Italique
Spectant virtutis lumina mira tuæ.
Egreſsus patria meritò es, FRANCISCE; nitere
Vno non poterant lumina tanta loco.

De fortiſsimo TARQVINIO IACOBATIO Romano,

Qui cum, post multas relatas victorias, patriam reuerſus, domi ſuæ feneſtram aperiendo, recederet, auerſo corpore in ſcalas dilapſus, interijt.

TArquinius validis Iacobatius horror in armis,
Sternere quem clari non potuere Duces,
In ſcalas præceps auerſo corpore lapſus,
Victricis iacuit nobile Mortis onus.
Proh, quantus bellator erat! timuiſse vel ipſam
Nonne vides Mortem vincere poſse Virum?
Mors illum à tergo aggreſsa eſt, vt ſterneret: ille
Vt victus caderet, Morti opus arte fuit.

DE

DE EODEM TARQVINIO.

in idem argumentum.

MAnè, recens orta recludens luce feneſtram
Tarquinius, noctem ſenſit adeſſe ſibi.
Quippe recedendo, in ſcalas dilapſus, obiuit:
Hac breuior nullo huic tempore viſa dies.
Ecquæ non Morti indomitæ, effrænęque poteſtas,
Si noctem, orto vix lumine, adeſſe iubet?

De obitu Excellentiſsimi D. PAVLI BVRGHESII, in Tuſculano, *vbi oblectationis gratia menſe Iunio morabatur.*

PRæbet grata ſuo dum dulcia poma colono
Arbor, & vmbrifero tegmine læta placet;
Dum lenis Zephyrus Phœbeas temperat iras,
Frigida & ardentem recreat vnda ſitim:
Dum volucres cantu, dum flumina murmure blandôs
Inſinuant ſomnos, laſſaque membra leuant,
Heu rapitur terris Princeps Burgheſius; vna
Mors etenim placidas neſcit habere vices.

In

Digitized by Google

In oris effigiem Excellentiſsimi Principis

AVGVSTI CHISII.

Adoleſcentis præclaræ indolis, & admirabilis ingenij.

AVGVSTI hæc CHISII, Romani Principis ora,
Corpore, & ætate exigui, ſed cætera magni.

In ingreſsum Illuſtriſsimi D.

D. FERDINANDI CARACCIOLI

In Ciuitatem Theatinam *ab* Hiſpaniarum *Rege repreſſam. ex alluſione ad* Regium Leonem, & Equum *Ciuitatis inſigne.*

ECce Theatinam ingreditur Fernandus in Vrbem,
Vrbſque ſuum Dominum prona, humiliſque colit
Scilicet indicens temeraria bella *Leoni*,
Viribus imparibus cedere iuſsus *Equus*.

DO-

DOMINVS ANDREAS DE COMITIBVS:

Anagrammata II. in ipſius funere.

I. HVMO DISCEDO, MERITIS ABVNDANS. *h, additum.*
II. ADDITVS ASTRIS, BENE MICO MVNDO. *t, additum.*

ANDREAS DE COMITIBVS, ROMANVS.

Anagrammata III. in eiuſdem funere.

I. HINC ABEO: SVMMO DANTVR SIDERA. *s, in b.*
II. SCANDO: SIC DEBITA MVNERA SVMO. *r, in c.*
III. MORS, BEANS CVRSVM, DEDIT OMNIA *a, in m.*

Epigramma cum his V. Anagrammatis.

LÆtus HVMO DISCEDO, Dei iam munere ABVNDANS
Nunc MERITIS; meritis præmia celſa meis.
HINC ABEO tandem: SVMMO mihi SIDERA DANTVR:
Nunc mihi ſat clarum, conſpicuumque decus.

Iam

Iam Cœlum SCANDO; SIC DEBITA MVNERA SVMO;
Sic BENE MVNDO, ASTRIS ADDITVS ecce MICO.
Quis curſum ad maiora dolet mihi Morte retentum?
Fauſta BEANS MORS CVRSVM, OMNIA dona DEDIT.

De Illluſtriſsimo D.D. PETRO DE VALLE, Auctori amiciſsimo.

Voluminibus ſuorum Itinerum *valde conſpicuo*,

Anagramma cum Epigrammate.

DOMINVS PETRVS DE VALLE, ROMANVS.

Anagramma. *l, abiectum*.

VIR SVPERAT MVNDO OMNES LAVDES.

In Anagramma.

QVis Petrum tollat meritæ nunc laudis honore?
Quis Petrum digna ad ſidera laude ferat?
Detulit è terris peragratis grandia laudis
Præmia, virtuti non tamen æqua ſuæ.

Q Hic

Hic SVPERAT MVNDO LAVDES VIR maximus OMNES:

Par nulla eſt tanto, laus licèt ampla, Viro,
Exultant alij, quod laude vehuntur ad aſtra;
Laude haud poſse vehi, gloria ſumma Petri eſt.

DOMINVS IVLIVVS CARTHARIVS I. V. C.

VRBEVETANVS, ALMÆ VRBIS SENATOR.

Anagramma purum,

Quod vnà cum ſubſequentibus carminibus, poſuit in initio Operis *eiuſdem* IVLIVI, *de* Immunitate Eccleſiaſtica, *Vir doctiſsimus* CAROLVS *filius, Auctoris amantiſsimus,*

Conſiſtorij Pontificij Aduocatorum Decanus.

AVTHOR SVBLIMIS, MVNDO CELEBRIS,
RARA VIRTVTE SVA VIVENS,
ACIVVANS.

In

Digitized by Google

In Anagramma Diſticha III.

ſeu potiùs vnicum, bis variatum.

I.

NOn moritur Sapiens: fama ſibi prorogat æuum:
Mortuus haud Author: viuere fama dedit.

II.

AVthor adhùc viuit, luſtrans virtutibus Orbem:
Virtutum prohibet viuida fama mori.

III.

MOrtuus eſt Author? non mortuus: inclyta virtus
Tutatur vitam; fama perennis alit.

FRANCISCVS MARIA PRATVS,
REGIVS CONSILIARIVS.

Anagramma. *p, demptum.*

IS IVRE EIRMVS, IS INCONCVSSVS,
AGIT CLARA, RARA.

In Anagramma.

IVris amore ſatis ſtabilis, deflectit ab æquo,
Nullo vnquam Pratus tempore, muneribus.
FIRMVS at IS ſemper IVRE INCONCVSSVS IS hæres,
CLARA AGIT, & RARA: hoc Nomina & ipſa canunt.
Inclytus Aſtreæ cæleſtis filius eſt Ius:
Inclyta ſic Pratus, Iuris amator, agit.

In laudem doctiſsimi Viri

MARCELLI SEVEROLI

Conſiſtorialis Aduocati.

MARCELLVS SEVEROLVS.

Anagramma. *l. in m.*

VERE SOL SVMME CLARVS.

In Anagramma.

HOc Anagramma micet quis carmine forſitan optat
Eſt vbi Sol, alio lumine non opus eſt.

In

Digitized by Google

In honorem Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Domini,

Domini PROSPERI BOTTINII,
Lucenſis,

elegantiſsimè coram ALEXANDRO VII. PONT. MAX. orantis in laudem FRANCISCI DE SALES ſanctiſsimi Epiſcopi.

QVàm dulcis, quàm mira tibi facundia, Proſper!
Os, orans, magni tu Ciceronis habes.
Orantem ſtupuit ſummus ruber Ordo, tuoque
Viſus *ALEXANDER Septimus* ore frui,
Cum tua *Saleſi* ſanctiſsima *Præſulis* acta
Perpetuæ famæ lingua diſerta dedit.
O felix Cicero toto auditore Senatu!
O felix Proſper ſed Cicerone magis!
Tu par ore quidem Ciceroni; ſed tibi maior,
Maior ob adſtantes gloria, maior honos.

Vide Anagramma, *ad quod hiſce carminibus alluſum eſt, apud* Auctorem *in* Anagrammaton *Libello*.

In honorem clariſſimi Vatis

AVGVSTINI FAVORITI

ALEXANDRO VII. PONT. MAX.

ab epiſtolis latinis.

AVGVSTINVS FAVORITVS
A SECRETIS.

Anagramma, t, *additum.*

SAT GRAVIS VATES; CEV FONS
VIRTVTIS.

In Anagramma.

Alluditur ad ipſius grauiſſima carmina,

quibus ALEXANDRVM VII. PONT. MAX.
laudat,
& ad CLEOPATRAM *Reginam,*

quam carmine heroico inducit canentem laudes

CHRISTINÆ *Reginæ* SVECIÆ.

QVali Auguſtinus promanat carmine! quanto
Nunc Auguſtinus profluit eloquio,

Ma-

Maxima *Alexandri* dum *Praſulis* acta *ſupremi*,
Gloria quæ ſemper tollet ad aſtra, canit!
Quàm *Cleopatra* graui ſonat alti carmine Vatis,
Dum memorat noſtri temporis illa *Sabam*;
Sed quæ regali ſpreto Solio, *Salomonis*
Romulei ſacros procidit ante pedes.
SAT GRAVIS hic VATES; CEV FONS VIRTVTIS in
Vrbe,
Eloquij miro hic impete fundit aquas.
Nam prope *Chiſiacos Montes* hic fons fluit: imò
Hæc de *Chiſiacis Montibus* vnda fluit.

COMES CAROLVS EMMANVEL DVRATIVS GENVENSIS REIPVBLICÆ RESIDENS.

Anagramma purum.

IPSE VERE SVIS GRANDE DECVS, BENE MICANS ROMÆ, CLARVS LVMINE, VTI SOL.

In Anagramma.

GRande ſuis decus effulgens clariſſimus Heros,
Vt Sol nunc alma CAROLVS Vrbe nitet.
Tam bene non poterat namque Vrbe nitere minori:
Sola, iubar tantum, maxima Roma capit.

Digitized by Google

In honorem ſapientiſſimi Viri

ANTONII MAGLIABECHII,

Magni Hetruriæ Ducis Bibliothecarij.

ANTONIVS MAGLIABECHIVS.

Anagramma. a, *in* s.

HIC VATES, MAGNVS, NOBILIS.

In Anagramma.

Bibliotheca Ducis Magni cui tradita, qualis
Fulgeat Hetruſca Vates Antonius Vrbe,
Quàm bene, vel Nomen promit, decantat & ipſum
Cognomen: MAGNVS VATES, & NOBILIS HIC eſt:
Nomen, Cognomen nulli fuit aptius vnquam.

In

In honorem eiuſdem ſapientiſſimi Viri,

Epigramma in ſequens Anagramma

doctiſſimi P. F. ANGELI FINARDI *Auguſtiniani.*

ANTONIVS MAGLIABECHIVS.

Anagramma. *additum,* B.

IS VNVS BIBLIOTHECA MAGNA.

In Anagramma.

ARnicolæ, ò docti Ciues; quos continet omnes
Magna Ducis Magni Bibliotheca tomos,
Hos omnes Cuſtos Antonius, omnibus vnus
Artibus excultus callet, & vſque refert.
Conſulite hunc igitur; quid opus tot voluere libros?
IS MAGNA en VNVS BIBLIOTHECA patet.

EM-

Digitized by Google

EMMANVEL THESAVRVS, PATRITIVS TAVRINENSIS, ET COMES.

Anagramma purum.

ORTVS EST SANE VITA MVSIS:
ANNE ETIAM ERIT SEPVLCHRVM?

In Anagramma.

THeſauri quicunque legis ſcripta aurea, Vatem
Mecum vnà eximium, grandiſonumq; cane.
Ille hic eſt, cuius præclara volumina, toto
Taurino, ac toto, laudibus, Orbe ſonant.
Ille hic, arguto, ægrotis, qui carmine, MVSIS
EST ORTVS SANE VITA, decuſq; fuit.
Ille hic, ſummus honor, quem ſummaq; gloria tollit,
Totaq; poſteritas quem ſuper aſtra feret.
ANNE ETIAM Muſis moriēs ERIT iſte SEPVLCHRVM?
Mors etiam Muſis, cum morietur, erit?
Æternùm viuent: Sapienti eſt vita perennis:
Æterna æternùm viuere fama dabit.

Digitized by Google

In laudem

Reuerendiſſimi Patris

F. RAYMVNDI CAPISVCCHI,

Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri.

Epigramma.

VAticana ſacris Raymundi vocibus Aula
Dum ſonat, ò quantis laudibus Aula ſonat!
Laudibus innumeris, mirando ad ſidera honore
Tollitur; huic plauſus dant ſine fine Sophi.
Namque Dei eloquio tonat hoc quis maior? in Aula
Quàm meritò, qua non clarior, ipſe tonat.

PATER FRANCISCVS MACEDO,
LVSITANVS, MINORITA.

Anagramma. i, *in* s.

PIA DOCTRINA CLARVS SANE
FACTVS INTER SVMMOS.

Digitized by Google

In Anagramma.

ex alluſione ad Seraphicum Franciſcum, *& ad* Alexandrum *Macedonem*.

T E, pia præclaris monumentis edita virtus,
Inter dat ſummos irradiare Viros.
Tantum etiam, vocum, Franciſce, elementa tuarum,
Quo poſſunt, promunt omnibus, ore, decus.
Nomen, Cognomenq; tuum quoque nobile, cunctos
Te ſummos inter fulgere, ritè docent.
Scilicet inſpecta mira pietate, vel armis,
Summus *Franciſcus*, ſummus & eſt *Macedo*.

P. FRANCISCVS MACEDO LVSITANVS.

Anagramma. f, *in* s.

SANE CLARISSIMVS APVD CVNCTOS.

In Anagramma.

V Irtutum quanto eniteat fulgore Macedo,
Quæris? APVD CVNCTOS SANE CLARISSIMVS ille eſt.

In

In eiuſdem ſapientiſsimi Scriptoris laudem,

ex longa ipſius cognominis, Macedo, *pronunciatione, breui autem, cum vox iſta referatur ad*

Alexandrum Magnum.

AD LVSITANIAM.

CLarior es longè, quòd Luſitania magno
Franciſco, ſophiæ luce nitente, nites,
Innumeris quàm quòd Ducibus, quos Martius ardor
Inflammat, ſitis & laudis ad arma rapit.
Lux tibi maior; honos tibi, Luſitania, maior:
Plùs peperiſse Sophos, quàm peperiſſe Duces,
Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ,
Iure quidem Marcus Tullius ore tonat.
Robore lingua armis præſtat: lingua amouet arma:
Victa cadunt lingua protinus arma manu.
Lingua animum vincit, corpus ſi ſternitur armis:
Fortior hoc animus: robore lingua præit:
Eſt minor armigeris, eſt maior gloria doctis:
Belligeris breuis eſt gloria, longa Sophis.
Hinc breui Alexander, *Macedo*, bene dicitur; aptè
Franciſcus longa voce, *Macedo*, ſonat.

In

In honorem doctiſsimi Viri,

ANTONII COTONI, Siculi, Tertij Ordinis S. FRANCISCI

Summæ ANTONINI DIANA Auctoris,

huius enim RESOLVTIONES CASVVM CONSCIENTIÆ ſeptem partibus amplè expoſitas, ſummatim libro vno comprehendit.

CVlparum mare grande, tuis quod cernitur amplis,
Antonine Diana, tomis, Antonius vno
Exhibet, inſigni præſtans virtute Cotonus.
Quanta Viri virtus! Vir quàm mirabilis, arcto
Qui mare tam vaſtum, ſpatio concludere nouit.
Mirantur cuncti ingenium, miratus & idem
Antoninus, & ad Cœlum, proprio extulit ore.
Has igitur laudis par eſt effundere voces:
Antonini Operum, verè, quæ *Summa* Diana eſt,
Antonj eſt eadem virtutis *Summa* Cotoni.

In

In Inclytæ SOCIETATIS IESV laudationem.

SOCIETAS IESV.

Anagrammata. II.

I. CEV IOSIAS EST. *purum.*
II. COELESTIS VIA. *s. in l.*

In Anagramma I.

ex comparatione D. Io: Chryſoſtomi, *& ex ſignificatione Nominis,* [Ioſias;) Ignis Domini *reſonantis*.

PAulum Ioſiæ, Præſul bene comparat, aureo
Largitor ſummus cui dedit ore loqui.
Igne ſacro hic ardens, indignas diruit aras,
Et ſtatuit vero debita vota Deo.
Compreſsitque malos mores, rectoſque reduxit:
Sic quoque Tarſites feruidus igne Dei.
Ioſiæ ac ſimilis, quem ſacro Ignatius igne
Inflammat, dici nobilis Ordo poteſt,
Hoc igne incenſus quæ non mala depulit Orbe?
Quę bona non Orbi cœlica reſtituit?
Ioſię ſimilis, ſemper cœleſtibus ardet
Flammis, vt Domini gloria maior ouet.
Ignatij, CEV IOSIAS EST nobilis Ordo:
Igne ſacro flagrans, *Ignis* hic eſt *Domini*

In

Digitized by Google

In Anagramma II.

IGnatij Soboles, Ieſu igni feruida, amore
Dum ſacro accendit pectora, ad aſtra via eſt.

Ad maximum Oratorem, & Vatem, Hiſtoriographumque clariſsimum FAMIANVM STRADAM SOC. IESV.

Qui in VI. Proluſione Academica, lib 2.

carminibus feliciter expreſsit dicendi genus ſex Poetarum, *videlicet*,

T. Lucretij Cari, Virgilij, Ouidij, Statij, Lucani, Claudiani.

CAro quàm ſimilis perdocto, quàmquam Maroni
Grandiloquo, ſimilis carmine, Strada, ſonas.
Naſonem facilem, Statium, Annæumque tumentes,
Nilicolam nitidum quàm bene, Strada, refers,
Qui ſenſit, transfundi animas in corpora, quid te
Audito, poſset dicere Pythagoras?
Ampliùs haud ſtultæ foret hæc ſententia menti;
Rideret mentis priſtina ſenſa ſuæ;
Stultior aut factus, clamaret ſtultiùs: ingens
Monſtrum! animas Vatum ſex Famianus habet.

Ad

Digitized by Google

Ad clariſsimum Oratorem, & Vatem, Et in Elogijs ingenij acumine admirabilem,

IGNATIVM BOMPLANVM SOC. IESV.

O Mire, Ignati, Elogijs, ò mire diſertos
Inter, & Aonij gloria ſumma chori.
Iam mea, quæ toties optaſti epigrammata luci
Publica, nunc luci publica facta vides.
At nimiùm diuerſa tuis epigrammata ſpectas
A Muſis; Muſis inferiora tuis.
Carmine tu celſus, viuaxque: Epigrammate contrà
Serpo ego, & ipſo ſum frigore frigidior.
Scribentem ſola te ſum breuitate ſecutus;
Scribendi breuitas eſt tua ſola mihi.
Sic mihi vita breuis dabitur breuitate, tibique,
Ignati, longa poſteritate frui.

In honorem ſapientiſsimi, optimique Senis, Patris MARII CALDERINI Narnienſis, ex Clericis Minoritis, Procuratoris Generalis.

PATER MARIVS CALDERINVS.

Anagramma. *m, remotum.*

EN PIVS RE CLARVS RADIAT.

In Anagramma.

AD NARNIAM.

ASpicis, vt niger eſt caligine, Narnia, Phæbus?
 Ille mali eſt index, veraque imago Sophi.
Aſpicis, vt fulget pulſa caligine Phœbus?
 Ille pij eſt index, veraque imago Sophi,
Vir ſapiens, tectus vitij qui nube, nigreſcit:
 Vir ſapiens, vitij qui ſine nube, nitet.
Talis adeſt Marius, meritò quem maximus ornat
 Totius curæ Relligionis honor.
EN PIVS, ergo, meus Marius, cui plurima virtus,
 RE CLARVS RADIAT, Narnia læta, cane.

In

In honorem eloquentiſsimi Patris

NICOLAI BELLI,

Religionis Miniſtrantium Infirmis,

pro eius PANEGYRICIS SACRIS, Romæ editis.

NICOLAVS BELLVS.

Anagramma. *l, in m. abiecto c.*

SVBLIME VOLANS.

In Anagramma.

Diuinis SVBLIME VOLANS Sermonibus, anne
Dici Aquilæ ſimilis, tu Nicolae, potes?
Longè maiori, longè petis alta volatu;
Celſiùs aſsurgis, nobiliùſque volas.
Se ſe Aquila ad Solem tollit; Nicolae, penetras
Empyreum, ad Superos tendis, adiſque Deum.

PATER HIPPOLYTVS MARRACCIVS, CONGREGATIONIS LVCENSIS MATRIS DEI.

Anagramma purum.

EGO TER CLARIS IN MARIAM
SCRIPTIS COGNITVS:
HINC PETO SYDERA PLAVSV.

In Anagramma.

IN Mariam claris ſcriptis peto ſydera: clarat:
Scripta ſuo Virgo lumine, meque beat.

Ad ſapientiſsimum Virum

CAMILLVM à S. HIERONYMO,

Vrbinatem, olim Præpoſitum Generalem III. Patrum Scholarum Piarum,

padagra doloribus perſæpè vexatum, noua, longioraque itinera cogitantem.

QVis tibi cum podagra rigor eſt, quęue ira, Camille?
Quid iuuat immeritos diſcruciare pedes?
Nodoſæ podagræ tu pene dolore repreſſo,
Magnum iter ingreſſus: quę tibi cura tui?

Nonne

Nonne ſedens, atque vſque iacens, ritè ipſe tueri
Iudicio potis es, conſilioque tuo?
Quæ tibi cura tui? quamuis ſis plurima paſſus,
Longius exacto nunc meditaris iter.
Non mihi cura mei, reſpondes; cura meorum;
Commiſsi gregis eſt vnica cura mihi.
Ergo, Camille, potes, pedibus bene parcere læſis:
Ex capite, haud pedibus, cura, Camille, oritur.

De Eodem

Auctore METHODI ARTIFICIOSÆ ORATIONIS, ſiue RHETORICARVM INSTITVTIONVM.

VT doceas bene, delectes, moueaſque, Camillus
Orator ſummus fert tibi, Lector, opem.
Dat facili ſcriptos methodo, mira arte, Libellos:
Vtere, & Orator tu quoque ſummus eris.
Hic orans, punctum omne refert, victorque triumphat,
Et fama æternum viuere Suada iubet:
Maior & eſt noſtri, veteris quàm fama Camilli;
Ille armis nouit vincere, hic eloquio.

AD EVMDEM

Ob ipſius Libros variarum Poeticarum Compoſitionum, inſcriptos

LVSVS CANORI.

CVt placuit, *Luſus* dixiſse, Camille, *canoros*,
Seria præſtanti carmina, materie?
An quia, cum faciles tibi ſint ad carmina Muſæ,
Illa, merus luſus, compoſuiſse, fuit?

AD EVMDEM,

optimum non modò Poetam, ſed etiam Oratorem,

pro ipſius elegantiſsimis Orationibus, *Romæ typis traditis*.

ABſtinuit ſermone Maro, Flaccuſque ſoluto,
Cuius & exultus, Cynthia amica, labor.
Atque alij, clari Græco, clarique Latino
Carmine, proſaicis abſtinuere modis.
Qui bene namque metro dat verba ligata, Camille,
Dat bene non idem verba ſoluta metro.
Perpaucos Vates ſermo commendat vterque;
Muſa alio, atque alio proſa tenore placet.
Hinc ſatis ipſe tuum, Vates præclare, Volumen
Admiror, linguæ quod Patris arte nitet.
Tu Muſa, proſaque igitur mirabilis, inter
Authores raros annumerandus eris.

In eiuſdem eloquentiſsimi Patris laudem,

pro iiſdem Orationibus *in lucem editis.*

QVi quondam, vt Cicero, orandi præcepta Camillus,
Et culti eloquij ſat bene prompſit opes,
Idem mirificos dat nunc, Ciceronis & inſtar,
Sermones, dignos poſteritate frui.
Hic verè, vt Cicero, parilique ornandus honore:
Cum Cicerone docet, cum Cicerone tonat.

Ad AD.R.P. Patrem COSMVM à IESV MARIA, Panormitanum, eorumdem Patrum Scholarum Piarum olim Præpoſitum Generalem IV.

facie, ſtatura, charactere, moribus, & probitate perſimilem,

IOANNI, à IESV MARIA,

Segouienſi, II. Præpoſito Generali.

PRæpoſiti os noſtri Generalis, Coſme, ſecundi,
Et grauis, & placidus tu ſatis ore, refers.
Nec tantùm facies; ſtatura idemque character
Illi perſimilem te quoque, Coſme, facit.
Quodque illuſtre magis, magis & memorabile, eumdem
Moribus aſsimilas, ac pietate ſenem,
Vna ætate minor, differs: ſeptena peregit
Luſtra bis ille, tibi luſtra peracta decem.
Coſme, tamen quiſquis tua plurima facta recenſet,
Longæuum pariter te putat eſse ſenem.

In laudem ſapientiſsimi Patris, ac optimi Moderatoris,

IOSEPH à VISITATIONE,

Eiuſdem Religionis Præpoſiti Generalis V.

Anagramma cum Epigrammate.

IOSEPHVS EX VISITATIONE.

Anagramma. *o, in t.*

EST ISTE, VTI AVIS PHOENIX.

In Anagramma.

PRæpoſiti primi Generalis nomine, Ioſeph
 Clarus, & eiuſdem clarus honore nitet.
Atque illi ſimilem ſimilis prudentia monſtrat,
 Et nobis ſimili ſemper amore præeſt.
Sic primo Rectore frui, hoc Rectore, videmur:
 Aſſyriæ ſimilis ſicque videtur aui.
Vt ſurgens Phœnix, Phœnix prior eſſe videtur,
 Sic Ioſeph, Ioſeph cernitur eſſe prior.

In Opus Grammaticum

noua, facilique methodo compoſitum à R. P. AMBROSIO à VISITATIONE eiuſdem Religionis,

NVnc, quoniam noua cuncta placent, nouitatis amator
Huc, Iuuenis, properes; hic noua Porta patet.
Vt poſsis Latias penetrare, ac viſere ſedes,
Hinc tibi plana via eſt; & breuis ipſa quoque eſt.
Ergo nouam portam ingreditor, ſtudioſa Iuuentus:
Vlli vnquam ſimilis non data porta fuit.

Ad egregium Scriptorem, Vatemque præſtantiſsimum,

Patrem STANISLAVM à IESV MARIA; Polonum, Religionis Paup. MATRIS DEI, Scholarum Piarum,

pro ipſius PRODROMO REGINÆ ARTIVM, ſiue

Informatione Tyronum Eloquentiæ,

Libro ad Auctorem miſſo ex Polonia.

A Te longinquis miſſum mihi munus ab oris,
(Reginæ Suadæ Prodromus illud erat)
Pergratum, Stanslae, fuit: pro munere, carmen,
Grati animi quamuis ſit leue pignus, habe.

Pro-

Prodromus ille, ſuæ quàm ſint exordia clara
Reginæ, quantum ſit genus, atque decus;
Quàm pulchrè incedat, quàm geſtu proferat apto
Verba, laborata quàm bene veſte micet,
Eloquio vt præſtans moueat, perſuadeat, atque
Virtutem, ſtrato crimine, ad aſtra ferat;
Exhilaret mentes quanto oblectamine; contrà
Cumque velit, quantum terreat illa reos;
Vt facilè amoueat lacrymas, compeſcat & iras,
Flectat & aduerſos, concilietque animos;
Quàm crebris redeat victrix Regina triumphis,
Reginæ & quantis laudibus ora ſonent,
Tam bene, Stanslae, expoſuit, ſcitèque, videndæ
Reginæ vt tantæ me ſatis vrat amor.
Nec minor inceſsit mihi, te cognoſcere, cura:
Extulit ingenium non minùs ille tuum.

Sic locutus Auctor, quia ille in præfatione ad Lectorem, ſic ait: Si, candide Lector, huic Opuſculo(*Prodromo*)faucbis,etiam ipſam Reginam breui conſpicies.

DE

De admirabili memoria

Patris CAROLI à S. CÆCILIA, Neapolitani, Religionis Paup. MATRIS DEI Scholarum Piarum,

Qui totum AMBROSII CALEPINI Dictionarium *mente retinebat, referebatque ordine, legentis inſtar, quæcunque quis in ipſo magno Volumine contenta exegiſset; Quod vt veriſsimum, ſciſcitanti Auctori, coram multis Patribus confirmauit, ſeque expertum fuiſse ait, vir fide digniſsimus,* Petrus ab Annunciatione, *præceptor olim Auctoris.*

QVod bellatorum bene nomina cuncta teneret
 Rex Cyrus, mentis vis ea mira fuit:
Nec non Scipiadæ mentis vis mira, ſuorum
 Cui bellatorum nomina prompta Duci.
Miraque mens Senecæ; namque hic bis nomina mille,
 Ipſo, quo fuerant ordine lecta, dabat.
At Caroli hæc noſtri quota portio mentis? in illo
 Cuncta, Calepinus quæ dedit Auctor, erant.
Cunctæ illi voces, reſque, alta mente repoſtæ:
 Ordine reddebat cunctaque rite memor.
Cui mentis vis tanta fuit, vel condito ab Orbe?
 Hanc ſtupeant vnam ſæcula Mnemoſynen.

Ad clariſſimum humaniorum litterarum Præceptorem GASPAREM DRAGONETTVM Leontinum,

Qui centum natus annos, ſe in erudienda iuuentute adiutorem PATRIBVS SCHOLARVM PIARVM Romæ adiunxit,

quod pium, & laudabile Inſtitutum reliquis vitæ annis, nempè quinque, & viginti, piè, & laudabiliter exercuit.

GAſpar, Romanæ moderator amate Iuuentæ;
Gloria Trinacrij non peritura ſoli,
Plurima longæuum ſtupuere Lycea docentem,
Longæuumq; Piæ te ſtupuere Scholæ,
Luce, obſcura, tua clarantem carmina Vatum
Multorum, varias & Ciceronis opes.
His quoque (ſed nulla motus mercede) tuliſti
Promptus opem, cupiens præmia ſola Dei.
Quanta fuit pietas! ſecli iam tempore lapſo,
Quinque his acta Scholis luſtra ſuprema tibi.
Namque annos centum, viginti, & quinque peractis
Abrupit vitæ ſtamina Parca tuæ.
Sic tibi ſcandenti (fas eſt mihi credere) Cœlum,
Largitor ſummus præmia ſumma dedit.
Fortunate Senex: merces nunquam ante parata
Ampla magis, quàm cum nulla petita fuit.
Maiora haud poteras pietatis præmia, Gaſpar,
Ferre tuæ: merces eſt Deus ipſe tua.

Ad

Ad amantiſsimum Senem,

IOANNEM VICTORIVM ROSCIVM,

ſiue, IANVM NICIVM ERYTHRÆVM Romanum, *perelegantibus latinis ingenij monumentis clariſsimum*.

Epigrammata varia cum Anagrammatis II.

IOANNES VICTORIVS ROSCIVS.

Anagramma. *e, additum.*

IS, ORE TONANS, IS VIVVS CICERO.

In Anagramma.

O Quàm facundo, Victori, pectore faris!
Quàm fluit è labris copia mira tuis!
Iudice me, lingua linguam Ciceronis adæquas:
Iudice me, tribui par tibi debet honos.
Illum ſi noſſet, te nunc ſi audire tonantem
Poſſet Pythagoras, talia dicta daret.
Mortuus eſt Cicero; Ciceronis ſpiritus huic eſt:
IS nunc, ORE TONANS, VIVVS IS eſt CICERO.

AD

AD EVMDEM,

Qui ob ſupra allatum Anagramma, *laudauerat Auctorem.*

CVr me, Victori, laudas, anagrammate lecto?
Deſine: laus merito debita iure tibi.
Ipſe quidem (haud dubites) Anagrammatis auctor es vnus:
Nomen cerne: meum non fuit iſtud opus.
Quicquid id eſt, Vir clare, tuo de Nomine manat:
Tu paris hoc: auctor laudis es ipſe tuæ.

Anagramma alterum in honorem eiuſdem,

Qui IOANNIS VICTORII ROSCII loco,

Libris ſuis IANI NICII ERYTHRÆI *nomen inſcripſit.*

IANVS NICIVS.

Anagramma. *s, int.*

VITANS VINCI.

Epigramma in hoc Anagramma, & ſuperius.

ORator quid ſum me, iuuat, tibi vertere nomen?
Quod *viuus Cicero* noſceris, *ore tonans*?

Par

Par eſt, inuicti Ciceronis nomine noſci,
Te quando eloquio vincere nemo poteſt.
Verte tamen nomen: quid prodeſt? noſceris idem,
Nam VINCI VITANS, Tullius alter ades.

AD EVMDEM IANVM NICIVM,

orantem Romæ apud Patres Congregationis Generalis

SOCIETATIS IESV.

ELoquij Princeps Graij, Principſque Latini
Iure ſuo iactent tollere ad aſtra caput:
Ille, quòd orantem ſtupefacto Græcia vultu
Audit: hic, attonito Roma quòd ore ſtupet.
Grandis vtrique honor eſt; ſed enim tibi grandior, audit
Cum te Loyolæ Gens numeroſa, Nici.
Hæc tibi quandoquidem cunctis ex partibus Orbis
Collecta, oranti, ceu Microcoſmus adeſt.

Epi-

Digitized by Google

Epigramma IANI NICII ERYTHRÆI ad Auctorem,

Quòd ideò ponitur, vt & alia eiuſdem, quoniam ad ea ſunt Auctoris reſponſiones, quarum ars, ipſis omiſsis, Lectori minùs innoteſceret.

TOllere ſublimem quid me conaris ad aſtra,
Quem fama exiguum, ſerpere cernis humi?
At dedit ipſe quidem tibi carminis auctor Apollo
Inclyta magnorum pangere facta Virùm.
Grandia ſume igitur, paruis, leuibuſquee relictis:
Illa tuas vires, ingeniumque decent.

Reſponſio Auctoris.

TOllere ſublimem quid te non conet ad aſtra,
Qui, fama eximius, ſerpere ſpernis humi?
Nam dedit ipſe tibi, Romani Tullius auctor
Eloquij, mirè promere facta Virùm.
Grandem fama igitur te tollere ad aſtra relinquam?
Iſta tuas vires, ingeniumque decent.

AD

AD EVMDEM IANVM NICIVM,

De ipſius fabula mirè acta, & attentiſsimis auribus excepta, ad quam inuitauit Auctorem.

QVam fuit egregiè data fabula, ſingula quàmque
Attentè excepit denſa caterua, Nici!
Fabula ad extremum deducta, languida iam ſunt,
Hiſtrio clamabat, corpora noſtra fame.
Vos ſpectatores, placuit ſi fabula, plauſum
Ergo date: ad cœnam pergimus: ite domos.
Attamen adſtabant patefactis oribus omnes;
His quoque nam fuerat non minor orta fames.

AD EVDEM IANVM NICIVM,

Epigramma cum Roſis miſſum.

MVnera parua quidem mea ſunt, ſi munera ſpecto,
Sæpe mihi facilis quæ dare, Iane, ſoles.
Sic cum ſæpè meæ occurrant tua munera menti,
Sepè etiam meritò connotat ora rubor.
Iane, Roſas igitur cernens, rubra munera, dicas,
Me quoque cum miſſis erubuiſſe Roſis.

AD EVMDEM IANVM NICIVM,

Cuius carmina vnà cum litteris diurno tempore tradita, ſub noctem famulus non ſemel detulit ad Auctorem.

QVæ, vel nexa metro, metro vel libera, Iane,
Mittis, reſpondent moribus illa tuis.
Namque tui vt fulgent præclaro lumine mores,
Sic tua præcipuo lumine ſcripta nitent.
Hinc procul obſcuræ nubes, tenebræque remotæ:
Emicat eloquij ſplendor vbique tui.
Excuſes, opus eſt, ſi, quæ das, Iane, ferenda
Scripta die, famulus nocte ruente ferat.
Excuſes, opus eſt: ſcriptorum lumine tanto
Perfuſus famulus, neſcit abeſse diem.

AD EVMDEM IANVM NICIVM,

Auctoris Epigrammata ſuperpoſito lapide cuſtodientem.

CArmina (quid cauſæ eſt?) iuuenilibus edita Muſis,
Miſsa ſubinde tibi, marmore, Iane, premis.
An facis hoc, vllam ne ducant puluere labem?
An facis hoc, rapido ne ferat aura, noto?
Heu, video: non digna putans mea carmina luce,
Iane, ſepulchrali marmore preſsa tegis.

AD

AD EVMDEM IANVM NICIVM,

Quocum dolet Auctor, fictè tamen, ſola ingenij exercendi gratia, quòd ab eo negligantur quædam carmina, breui pagina conſcripta, alia verò ampliori commiſſa paginæ cuſtodiantur.

PRima ego quæ mitto tibi carmina, Iane, papyri
Scripta perexigua carmina parte, capis.
Lectaque vix, neglecta iacent; maiore papyro
Sed quæ inſa legis, marmore, Iane, tegis.
Hei mihi: cur vnquam tetigi malè, carmina, cautus?
Præfertur Muſis en tibi charta meis.

Ad Auctorem IANI NICII reſponſio.

CVncta premit nitidum, mittis quæ carmina, marmor,
Pellere ne valeat mobilis aura loco.
Nec, quæ longa modò, prolixaque pagina reddit,
Sed, quæ parua olim charta, ſed apta dedit.
Quæ, quamuis nulla premerentur compede vincta,
Attamen ipſa ſuo pondere firma forent.

AD EVMDEM IANVM NICIVM,

Qui in tertio carmine præcedentis Epigrammatis, poſteriorem ſyllabam in modò, *contra communem vſum produxit*,

Errorem notat Auctor, & arte quadam propulſat.

IAne, meam nimiùm producis carmine laudem:
Næ mea tu nimiùm carmina laude vehis.
Deſine Muſam adeò iuuenilem attollere, Iane;
Dedecet ingenium debile, grande decus.
Nam, breue vel carmen, vel epiſtola parua, vel arctum
Effluit ingenio, Iane, Anagramma meo.
At breue, grande placet tibi pandere: nonne Poetis
Eſt *modò* contractum? protrahis ipſe tamen:
Quod facis arte; meam noſcam hinc vt carmine Muſam
Eſſe tuo magnam, re tamen eſſe breuem.

Ad

Ad Auctorem IANI NICII Epigramma,

Quo vocem illam, modò *, meliùs declaraſse ſignificauit, vt non pro aduerbio acciperetur, ſed pro nomine, ideſt, menſura, cum reſpectu ad paginam, addendo* tantùm *loco verbi* reddit, *ita nimirum:*

Nec, quæ longa modo, prolixaq; pagina tantùm,

quòd omninò addendum, litteris illi Auctor oſtendit, vt ibi acciperetur modo non pro aduerbio, ſed pro nomine, vt ſe pro nomine, defenſionis ergo Nicius *dicebat poſuiſse.*

NE dubiæ vocis rapiat ſententia mentem,
In partes varias, decipiatque ſimul,
Quæ tibi viſa mei vox eſt fuſcaſse nitorem
Carminis, Aonidum, Carole, dulce decus;
Iudice te, ſtabilis, ſenſum reuocatur ad vnum,
Nec vaga multiplices, itque, reditque vias,
Cana nec erubuit, iuueni ſummittere faſces
Acta ætas, tenuit nec dare iuſsa, manus.
Quis, niſi ſit ſtultus, numerauerit illius annos,
Cui Cœlo virtus contigit ante diem?

Epigramma eiuſdem IANI NICII miſsum ad Auctorem

ob huius Diſticha de Aquila Syrorum Fratrum; *quæ vide lib. 4.*

CVM de re ſola; toties mihi Diſticha mittis,
Vnum cui fuerat contribuiſse ſatis,
Fœcundam miror; niueo de pectore; venam
Fundere conſpicuis tot noua dicta modis.
Vna ſed eſt Aquila, atque vno quam torque corones;
Vnum cui collum, plura nec eſse; patet.
Tu, quaſi ſint Aquilæ centum; ſint collaque centum,
Diſticha ſic centum conſociare paras.
Quæ cum regali niteant; ceu ſtemmata, cultu;
Hæc faciunt hilares publica vota Syri;
Nempe, quot arguto ſubeunt tibi diſticha, verſu,
Contingant Aquilæ tot quoque colla ſuæ.

Auctoris reſponſio cum laude duorum Diſtichorum eiuſdem IANI NICII, de eadem Aquila.

VNa quidem eſt Aquila, vnum collum, Diſticha multa:
Confiteor: verum eſt; haud ego; Iane, nego.
Diſticha quòd niteant regali, vt ſtemmata, cultu,
Diffiteor: falſum eſt; haud ego, Iane, probo.
Hæc arguta parùm, ſępè obuia; vilia multùm,
Qualia, vel paruus, quiſque, poeta facit.
At miranda, tuo docto de pectore vena
Quæ duo iam fudit Diſticha, Iane; Syris;

Illa

Illa arguta ſatis; rarò obuia; grandia valde;
Qualia; ni magnus, nemo, poeta parit.
Crede mihi; cernent tua ſi duo Diſticha, plura
Non cupient Aquilæ, quàm duo colla, Syri.

AD EVMDEM IANVM NICIVM ERYTHRÆVM, ſeu IOANNEM VICTORIVM ROSCIVM.

& ad amiciſsimum Equitem, Anconitanum,

IOANNEM BAPTISTAM GRATIOLIVM.

Auctoris carmina cuſtodientes:

ex ſignificatione nominis (IOANNES) vtrique communis.

CArmina ſolicitè mea cur ſeruatis vterque,
Quæ potiùs flammas in ſua damna vocant?
Deſinite ò tandem: vobis (vel nomine) inhæret
Gratia: Carminibus gratia nulla meis:
Deſinite ò tandem: demens fruſtrà alloquor; auras
Verbero; do rapidis vota, preceſque notis.
Gratia, quæ vobis, Muſæ fauet vnica noſtræ:
Carmina ſeruari *gratia* veſtra iubet.

AD EVMDEM IANVM NICIVM,

De carminibus vltrò citròque datis.

QVæ tibi mitto, ſatis probo, laudoque carmina, Iane;
At mihi quæ mittis, laudo, proboque nihil.
Iane, caue, caue, Iane, putes mea verba ſuperba:
Non hæc de tumido pectore verba fluunt.
Carmina dum laudum variarum fundimus ambo,
Vera ego, Iane, tibi; tu mihi falſa canis.

In eiuſdem IANI NICII, ſeu, IO: VICTORII honorem.

Ad Illuſtriſsimum, & Reuerendiſsimum D.

D. HVGONEM VBALDINVM,

Quocum ille ſæpiſsimè, in rhedam amiciſsimè exceptus, per Vrbem ferebatur.

IAm volucri alatus fama Victorius, Vrbis,
Totius atque Orbis per ſpatia ampla volat.
Namque vbi non clari Senis inclyta fama? diſerti
Quæ loca non luſtrant aurea ſcripta Senis?
Rheda ergo euectus quid fertur hic, Hugo, per Vrbem?
Non opus eſt, alas dat cui fama, rotis.

Ad

Ad nobiliſsimum, optimumque Virum, Dominum HYACINTHVM CARDVLVM, Narnienſem, *ab honoribus prorsùs alienum.*

NOn virtute minùs, quàm claro nobilis ortu,
Cardule, virtutis præmia dum renuis,
Miror ego, ſtupeo; gratum nam dicier: hic eſt;
Virtutiſque ſuæ præmia quemque iuuant.
Non mirer, ſtupeam? facis hoc, quod, Cardule, mirum eſt;
Mirum eſt, oblatum, Cardule, nolle decus.

Ad Oratorem, Vatemque grauiſsimum, BARTHOLOMÆVM TORTOLETTVM Veronenſem, Auctori amiciſsimum.

SEù fuſo ſermone iuuat, ſeu dicere metro,
Veronę eximium, Bartholomæe, decus,
Arpinate tonas maior, maiorque Marone,
Cum grauiora canas, & meliora notes.
Patria vix tantum tua te ſuſpexit alumnum,
Cum paſsa eſt proprio triſtis abire ſinu.
Teque Vrbes alias permiſit quęrere, magnę
Pręberent ſophiæ quæ loca digna tuæ.
Non loca digna tamen dederunt; vel maxima Roma
Virtuti tantæ non ſatis ampla fuit.
Totius hinc mundi, ceu Sol, tua lucida virtus
Intrat in immenſos irrequieta ſinus,

Quæ

Quæ rutilant cunctis nam mira volumina terris,
Optant vlterius fundere grande iubar,
Quanta tua eſt virtus! quanta eſt ſapientia, quando
Huic bene non toto par datur Orbe locus!

DOMINVS CINELLIVS MASTARASCVS.

Anagramma purum.

IS MVNDO CELSVS, CVM ALIS IN ASTRA.

In Anagramma.

CErnitur alatus meritò Cyllenius; alis
Sublimem Virtus extulit alta ſuis.
Cernitur & meritò alatus Cinellius; alta
Virtute in Mundo celſus, in aſtra volat.
Aptiùs hinc eſset Cyllenius ipſe vocandus,
Cui Virtus alas dat quoque; vt aſtra petat.

In

Digitized by Google

In laudem MICHAELIS IVSTINIANI Abbatis, celeberrimi Hiſtoriographi:

MICHAEL IVSTINIANVS.

Anagramma. *l, in a.*

EN, HIC ANIMA, VITA SVIS.

In Anagramma.

NOmina dum Michael illuſtria, & acta recenſet
Scriptorum Ligurum, Scriptor & ipſe Ligur,
Vita defunctis iterum dat viuere: iure,
EN ANIMA HIC, reſonant Nomina, VITA SVIS.

In laudem clariſsimi Hiſtoriographi,

Domini FLORAVANTIS, MARTINELLI, Romani.

DOMINVS FLORAVANTES MARTINELLVS, ROMANVS, SACERDOS.

Ana-

Anagramma purum.

O SANE RARA SORS!

EST MVNDO, MVNDO LVCENS ILLVSTRI FAMA.

In Anagramma.

QVas Florauantes non nomine peruolat oras?
Laus vbi conſpicui non nitet ampla Viri?
Scriptorem celebrem fert totum fama per Orbem;
Huius ad extremas gloria lata domos.
O mirum dictu! poſt fata nouiſſima, ſemper
Quæ venit, hunc viuum proſpera fama beat.
Quid dicam? inuidia viuis ſi fama negatur,
Neſcius inuidiæ, maior hic inuidia.

AD EVMDEM,

De Templo S. MARIÆ in Via lata

piè, eruditèq; ſcribentem.

MArtinelle, *Via in lata* loca ſacra *Mariæ*
Dum laudas, laudi fit *via lata* tuæ.

Ad

Ad egregium Vatem CAROLVM SINIBALDVM Picenum,

ob Oden FRANCISCI PETRARCHÆ ad DEI Genitricem,

latina Paraphraſi metrica ab eo elegātiſſimè explicatam, miſſamq; ad Auctorem amicum ſuum, cum alijs aliorum hetruſcis compoſitionibus, ab eodem in latina carmina conuerſis.

QVamdiù in immeritis tenebris, Sinibalde, latebunt
Carmina, perpetuo lumine digna frui?
Quem non delectent tua carmina, carmina fonte
Ducta Petrarchæo? quàm bene verſa fluunt!
Mirus es arte; places paraphraſtes maxime, Hetruſcum
Vatem, Romano dum canere ore, iubes;
Quo Tuſcas volucres, voces preſſiſſe, canente,
Et latices Arnum continuiſſe, reor.
Eia age; Petrarchæ iam tradas metrica luci,
Multorum &, Latio nobilitata ſono,
Queis bene laudatis, clamabunt, (nouerit omen
Verum equidem hæc ætas, poſteritaſq; meum)
Se Picena tibi tantùm debere lycea,
Quantùm Petrarchæ Tuſca lycea ſuo.

DE

DE EODEM CAROLO SINIBALDO
cum clariſſimo Vate SEBASTIANO
BALDINO amicitia coniunĉto,
cuius illc breues poeticas compoſitiones hetruſcas,
Sonetti, *italicè dictas, in latina carmina*
mira gratia conuertit.

SINIBALDVS.

Anagramma purum.

IS, BALDINVS.

In Anagramma.

CArmina qui laudat Sinibaldi, carmina laudat
Baldini; Latios huic dedit ille ſonos.
Ipſum Baldinum, Sinibaldum, iuncta voluntas,
Et ſimilis morum candor, amorq; facit.
IS, BALDINVS, ait vel vox eadem, Sinibaldus:
Verè idem eſt alter, cui ſocialis amor.

Ad eiuſdem CAROLI SINIBALDI Nepotem,

Auctoris olim Diſcipulum,

Fratrem PETRVM, ex CAPVCCINORVM
Ordine, *antea CÆSAREM nominatum.*

CÆſaris inuicti qui quondam nomine dictus,
Diceris in ſacra Relligione, Petrus.

Quàm

Quàm benè! petra velut, fortis perſiſtis, & hoſtis
Tartareus tanto robore victus, abit.
At nunc, Petre, potes, Cæſar quoque ritè vocari:
Dicendus Cæſar, qui benè bella gerit.

In laudem grauiſſimi, & dulciſſimi Poetæ,

MARTINI MESQVITÆ LVSITANI,

Ob Canonicas, & Ciuiles Leges,

Paraphraſi metrica ab ipſo feliciſſimè expoſitas, & Eminentiſſimo Principi

ANTONIO BARBERINO S.R.E. CARD.

maximo Mæcenati *ſuo dicatas.*

DOMINVS MARTINVS MESQVITA.

Anagramma. *t, in* v.

IS IN MVNDO QVAM MIRVS VATES!

In Anagramma.

PErſonat ò quanta dulcedine, & arte, Camænis
Dum Meſquita potens, ad metra Iura vocat.
Grande quidem ingenium, ſanè arduus, ardua Legum
Carmine mellifluo promere ſenſa, labor.

IN

IN MVNDO VATES QVAM MIRVS IS! vtile dulci
Miſcendo, punctum ſcilicèt omne tulit.
Et bene dulce Themin decuit reſonare, quietis
Namque Themis placidæ, quid niſi origo, parens?
Atque Themin, pacis dulciſſima mella ferentem,
Nunc *Barberinæ* iure tuentur *Apes*.

In honorem IOANNIS LOTTI, maximi Vatis,

Anagrammata II. cum II. Epigrammatis.

IOANNES LOTTVS.

Anagramma purum.

O, VT NITES! AN SOL?

In Anagramma.

O, VT, Lotte, NITES ſplendore Poeſis! AN es SOL?
Sol equidem; mundo Phœbus vt alter ades.

Digitized by Google

DOMINVS IOANNES LOTTVS,

Anagramma. *i, in v.*

MVNDO VATES NON SOLITVS.

In Anagramma.

Seu iuuat Æſchyleo dare carmina digna cothurno,
Tangere Pindarica ſeu placet arte lyram;
Mœonijsùe tubis animare in prœlia dextras,
Siue Philetæa corda mouere chely;
Seu ſonitu latio Andinum, Calabrumque referre,
Aut dare Bilbilici carmina acuta Senis;
Dulcibus aut Elegis, cythara reſonare Propertj,
Hetruſcos Vates ſiue referre iuuat;
Lotte, quis aſsurgit ſimili, te, carmine, maior?
Quis melius, cunctos carmine, Lotte, refert?
NON SOLITVS MVNDO VATES tu ſcilicèt: omnes,
Dum ſimilas Vates, carmine, Lotte, præis.

In honorem amantiſsimi Viri,

FLAVII VENTRILIÆ, NEAPOLITANI,

Iure conſulti, Vatiſque præclari.

DOMINVS FLAVIVS VENTRILIA, NEAPOLITANVS.

Anagramma purum, metricum.

ILLVSTRI FAMA, NON LVDENS VANA POESI, VIVIT.

In Anagramma.

Famæ illuſtris amor tangit ſi pectora Vatum,
Vana quid innumeros concinuiſſe iuuat?
Qualis fama poteſt variis exſurgere Muſis?
Ex Muſis variis ludicra fama venit.
Conſilio meliore canit ſacra, cœlica ſummus
Ventrilia, excelſæ gloria Parthenopes.
ILLVSTRI FAMA, NON LVDENS, VANA, POESI,
VIVIT; diuinis verſibus aſtra petit.

DOMINVS MICHAEL ANGELVS SAMMARRVCVS, ROMANVS.

Anagramma purum.

HIC SVMMVS (SORS MAGNA) RARA LAVDE COLVMNENSIVM.

In Anagramma.

MIre Columnenſum, Michael, laudator, ad aſtra
Herculeum Templum carmine quando vehis,
Admirata tuæ præſtantia robora Muſæ,
Mutuò fama vehit nomen ad aſtra tuum.

Ad humaniſſimum Virum,

IO: FRANCISCVM RAYMVNDVM, CESPITELLENSEM,

ſic ſuorum Epigrammaton Libellos, *inſcribentem*:

VMBRÆ GENIALES.

INgenium, Raymunde, tuum cur obtegis vmbris?
Cur, *Vmbras genij*, carmina clara, vocas?
Has equidem poſuit laudanda modeſtia voces;
Carmina ne niteant, non tamen illa facit.
Ex vmbris tibi lux oritur, tibi gloria ſurgit,
Vt ſolet ex atra ſurgere nocte dies.

 AD

AD EVMDEM,

in eamdem Inſcriptionem.

VMbra eadem, lux eſt, horas quæ clarat; & iſtæ
Sunt *Vmbræ* ingenij lux, Raymunde, tui.

AD EVMDEM,

In eamdem.

CArmina vt obſcures, *Vmbras* apponis? Apellis,
Appoſitis vmbris, clarius extat opus.

In laudem Auditoris olim Authoris,

ANTONII MARIÆ MARTORELLI,

CLEMENTIS Papæ X. Cruciferi.

DOMINVS ANTONIVS MARIA MARTORELLVS, TVSCVLANVS.

Anagramma purum.

SOLANS SIDVS IN ALMA ROMA, LVCENS ORNATV VIRTVTVM.

In

Digitized by Google

In Anagramma.

VIRTVTVM ORNATV LVCENS, vt SIDVS IN ALTu SOLANS ROMA quemque fauore beas. (MA
Martorelle, tuo nam non modò Ciuis amore,
Aduecha perfruitur ſed quoque amore tuo.
Sidera cum propè ſis clementia, nonniſi cunctis
Inſtar Clementis ſideris eſſe potes.

In honorem grauiſſimi, ac præſtantiſſimi Muſicæ Moderatoris, Romæ, in Principis Apoſtolorum Baſilica,

HORATII BENEVOLI,

Epigramma,

cui aptiſſimè dat initium
carmen hoc Ouidij, *eleg.9.lib.4.Triſt.*

Detinuit noſtras numeroſus Horatius aures.

D*Etinuit noſtras numeroſus Horatius aures,*
Quàm meritò nobis dicere, Roma, licet.
Diuitior numeris nullus modulamina fundit;
Arte quidem quiſquam nec grauiore ſonat.
Non illo grauior, non eſt numeroſior alter,
Tam plenis tollit cantica grata choris.
Olli maieſtas ſumma eſt, mirandaque: nullum,
Maieſtate pari qui canat, Orbis habet.
Sic bene, cui nullus par maieſtate canenti,
Templo, cui nullum par datur, ille canit.

In laudem ſuauiſsimi Chorodidaſcali;

Romæ, in Eccleſia Sancti Appollinaris;

IACOBI CHARISSIMI.

IACOBVS CHARISSIMVS.

Anagramma purum.

HIC OB SVA, ARS MVSICIS.

In Anagramma.

HArmonica optanti bene promere cantica templis,
Ob ſua præcellens, ars Iàcobus erit.
Fundit hic arte pia ſacri modulamina cantus,
Nam numeros aptat cum grauitate loci.
Excitat haud, leuium iuuenum, praua arte, choreas,
Nec numeris aliud quid leuitatis amat;
Dulcibus at modulis, placidèque fluentibus, arte,
Arte pia, ad Cœli gaudia, corda rapit.
Appoſitè in templis reſonant ita cantica: ſacris
Arte pia reſonant cantica ritè locis.

In

Digitized by Google

In pulcherrimam Tabulam ANTIPHILI antiquiſsimi Pictoris.

Puer pictus erat, in ignem curuatus,

quo igne, ipſius flatu, paululùm excitato, tota domus per noctem illuminata aliquantulùm videbatur. *Refert* Natalis Comes Mythologiæ *lib. 7. cap.* 16.

ASpicis, vt puer inſufflat, curuatus in ignem,
Anxius, vt flamas faſciculi excipiant?
An puer adducet flammas? iam, flante videtur
En puero, noctis tempore clara domus.
Pectus at anguſtum Antiphilus bene prouidus illi
Effinxit, ne tam nobile flagret Opus.

De celeberrimo Pictore

RAPHAELE SANCTIO, VRBINATE,

Qui vixit annos XXXVII. integros,

nam eo die, quo natus, obijt.

vt in Templo S. Mariæ de Rotunda, *Romæ legitur.*

AD ALDVM IVNILIVM.

Pingendi Raphael mirabilis arte, per Orbem
Attonitum, cuius maxima fama volat,
Septem decurſis luſtris, anniſque duobus,
Ipſo, quo natus, mortuus, Alde, die.
Illius exactis nil prorſus defuit annis,
Vt nil picturæ defuit, Alde, ſuæ.

Ad clariſsimum Anthropographum,

IOANNEM MARIAM MORANDVM,
Florentinum,

in ſubſequens Anagramma.

IO-

IOANNES MARIA MORANDVS.

Anagramma. *i, in a.*

O SANE MIRA DANS ORA MANV.

In Anagramma.

QVis te vnquam exhibuit, Morande, coloribus ora
Viua magis? veris quis propiora dedit?
Non ita Alexandrum ſimilem, puto, pinxit Apelles,
Vt facies ſimiles, inclytus arte, refers.
Non ego Morandum te poſt hàc dixero; dici
Mirandum potiùs, te, bene picta, iubent.
Vel tua, te mirum pictura, Nomina clamant:
Tu mira nobis exprimis ora manu.
Nec tibi deeſt ingens memorati gloria Apellis:
Dextera, ALEXANDRVM, quem tua pingat, habet.
Quin tibi maior honos: MAGNVS depictus Apelli,
At tibi ALEXANDER MAXIMVS ecce datur.

In honorem Pictoris Florum, huius ætatis præſtantiſsimi,

MARII NVZZII,

hac de cauſa, etiam DE FLORIBVS cognominati;

Ex Alluſione ad Nomen.

CVr Mario, cui dat miros ars gignere flores,
Non potiùs nomen, quàm Mare, Terra dedit?

Quæ

Quæ ſiquidem Marius bene dat certantia veris
Floribus; inſpector munera verna ſtupet.
Munera verna ſtupet; quin munera verna putaret
Vera quoque; at nullo fragrat odore color.
Veris mira tamen ſunt hæc mage floribus: illos
Terra parit; parit hæc munera verna, Mare.



MVSÆ

MVSÆ ANCONITANÆ SIVE CAROLI A S. ANTONIO PATAVINO, ANCONITANI, EX PATRIBVS SCHOLARVM PIARVM

EPIGRAMMATON LIBER QVARTVS.

IVCVNDORVM, VARIORVMQVE.

Ad Illuſtriſſimum Dominum
ANTONIVM MAGLIABECHIVM,
Magni Hetruriæ Ducis Bibliothecarium.

De EVRYLOCHO auditore PYRRHONIS Elidenſis,
per quam bilioſo, & iracundo.

ANtoni, Aonidum decus immortale Sororum,
Dulcis amicitiæ fœdere iuncte mihi,

Audi

Audi, quò Eurylochum raperet granis impetus irę,
Et mecum riſum comprime, ſi potis es.
Sæpe veru arrepto toſtis cum carnibus, ardens,
Concuſſiſq; fremens dentibus Eurylochus,
Voce forum fuit vſque, cocum minitante ſecutus;
Transfixuſq; cocus procubuiſſet humi,
Ni pedibus melior (pedibus timor addidit alas)
Vitaſſet dextram præcipitantis heri.
Qui quamuis tanto feruefceret igne furoris,
Expers omninò non pietatis erat.
Vncto, & odorifero terebrando viſcera ferro,
Optabat, ſapida ſternere morte cocum.

Ad amantiſſimum Senem,

IANVM NICIVM ERYTHRÆVM,

ad quem Cocus Caponem ſine alis, *quas ipſe Cocus ederat, in prandium famulo deferendum dederat.*

Ex carmine Martialis, *lepidè detorto,*

quod eſt in diſticho **CCXX.** *libri vltimi.*

Ponitur en capo, truncatus vtraque ſed ala:
Parte, gula, optata ſic tua, Iane, caret.
Quippe Cocus ſapidas edit, quas appetis, alas;
Tuq; gula audacem non ſinis eſſe cocum.
Atquí ſi talis cauſa eſt, male, Iane, flagellas;
Namque cocus domini debet habere gulam.

AD

AD EVMDEM,

De eodem Capone miſso ſine alis.

M Ittitur en capo, mutilus ſed mittitur alis:
Tu cuperes, alas hunc habuiſse ſuas.
Hoc mihi ridiculum eſt; caponi nam modò, coƈto,
Quid proſunt alæ, ſi volitare nequit?

Ita reſpondentem IANVM NICIVM inducit Auƈtor.

Q Vi ſapidis mutilus capo mihi mittitur alis,
Hunc alas cuperem certè habuiſse ſuas.
Caponi proſint coƈto nam nil licèt alæ,
Sat proſunt ſtomacho, Carole amice, meo,

Digitized by Google

Ad Eumdem.

IANVM NICIVM ERYTHRÆVM,

De Caupone quodam, prandia cultro, foribus annotante,

ipſaſque fores ad Iudicem deferente, quòd hoſpes, prandiorum negator, ei ſoluere prorſus nihil vellet.

Ex illo: ferre, *ſeu* deferre, *ſeu* proferre tabulas. *pro*, afferre ſcripturas.

CAupo bonus, ſimplex, ſcribendique inſcius, amplis
 In tabulis, cultro prandia facta notat:
At ſe, Iane, nihil, Cauponi perfidus hoſpes
 Debere exclamat, nullaque ſigna probat.
A Caupone igitur Iudex pro iure rogatus,
 Expenſi tabulas hùc mihi defer, ait.
Defert Caupo fores; foribus ſignataque credit
 Iudex: hoc proprium *ferre* quidem eſt *tabulas*.

Digitized by Google

AD EVMDEM,

Pro Libellis ab eo miſsis ad Auctorem vnà cum placenta. *Concluditur* Horatij *carmine, de Arte. Poet. lepidè vſurpato.*

VTile dum mittis, mittis quoque dulce, libellis
Addita namque fuit grati ſsima, Iane, placenta.
Quis mihi te punctum nunc omne tuliſse negabit?
Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

A D A M,

Nominis ſui litteris dat initium dictionibus ſequentibus,

Attulit Damnum Auſus Manducare.

Diſtichon

In hæc Verba.

M*Anducare Auſus* pomum, *Damnum Attulit* Orbi
Primus Homo; vel ſic Nomine clamat ADAM.

EVA

EVA.

Vocibus ſequentibus capitales litteras imponit.

Eſu Vitam Amiſi.

Tetraſtichon

In has voces.

E *Su Vitam Amiſi:* ipſis quoque mœſta fatetur
En mortem proprij Nominis EVA notis.
Ergo alij, quòd edunt, viuunt: morte EVA, quòd edit,
Preſſa: niſi ediſſet, vixerat illa quidem.

CAIN

ſuis litteris imponit caput verbis ſubſequentibus

Crudelis Abelum Inſontem Necuit.

Tetraſtichon

In ipſa Verba.

I *Nſontem* fratrem *Necuit Crudelis Abelum.*
Occiſoris aues cernere nomen? habes.
Forte ais: incedit non recto hoc tramite: & ille
Non recto inceſſit tramite, dum necuit.

De HOROLOGIO ex myrto,

Tuſculi, in Villa ALDOBRANDINA, *italicè*, Beluedere.

Ad Dominum IOANNEM MARINETTVM Ariſculanum, ſacræ Theologiæ Doctorem, olim Auctoris Auditorem.

ALdobrandina in Villa, qua Tuſcula Tempe
  Gaudent, Romulidum deliciæ Procerum,
Horas cur Myrtus texit, ſignatque Ioannes?
  Auctor qua, vernans hoc opus, arte dedit?
Exhibet arentis labentia tempora vitæ,
  Dic mihi, perpetuus qua ratione viror?
Sic placet an Morti Mortales ludere? luſum,
  Credo equidem, Mortis myrtea ſigna notant.

De Naui marmorea,

Romæ, ad radices Collis Hortulorum,

aquis tota profluente.

QVid magis improprium eſt? facta eſt ex marmore Nauis,
  Marmorea & quamuis, tota dehiſcit aquis.
Nil magis improprium eſt; tamen eſt nil pulchrius illa,
  Et quia marmorea eſt, & quia tota fluit.

De humaniſſimis Fratribus
IO: BAPTISTA, & ALEXANDRO SYRIS,
Qui Columnam, IV. ab Vrbe milliarium, *indicantem, Romæ, rure ſuo iacentem, erexerunt.*

HOc, vbi Cæſareis patuit via clara triumphis,
Quam cernis, iacuit preſſa Columna, loco.
At Fratres veruere Syri, tam nobile marmor,
Longiùs indigna conditione premi.
Quanta Syrûm pietas, quanta eſt clementia Fratrum,
Quæ neque neglectam paſſa iacere petram!

De Aquila eorumdem Fratrum
Diſticha VI.

Ex pluribus, quæ Auctor compoſuit rogatus per Epiſtolam (quæ eſt prima libri noni, qui totus eſt ad ipſum Auctorem, in Volumine poſteriori Epiſtolarum IANI NICII ERYTHRÆI ad Diuerſos) *ab eodem* IANO NICIO, *à quo* IO: BAPTISTA, *&* ALEXANDER SYRI *Sauonenſes, carcere detenti, petierant, vt diſtichon aliquod excogitaret, quod in æs inciſum collo* Aquilæ *insererent, ab ipſis libertate donandæ, cuius hæc eſſet ſententia:* Syros Fratres, libertatem, qua ipſi carebant, Aquilæ conceſſiſſe.

Ita

Ita Aquila loquitur.

I.

Libertate fruor, vinclis iam libera: vinclis
Conſtricti fratres hanc tribuere Syri.

II.

Vincla ſoluta mihi, fratrum pietate Syrorum:
Tam placidis, Superi, ſoluite vincla Viris.

III.

Libertate Syri me, clauſi carcere, donant:
Libertas merito debita iure Syris.

IV.

Dura mihi rupere Syri iam vincula, clauſi
Carcere: tam mites carcer habet dominos?

V.

Libertate, Syri quam ſtricti carcere fratres
Optant, emiſſæ dant mihi poſſe frui.

V I.

VIncla Syri ſoluere mihi; tamen, heu, tamen illos
Vincla tenent: iterum quis mihi vincla paret?

AD NERONEM IMPERATOREM,

Qui Vrbis incendium è Turre Mæcenatiana ſpectauit, Ilij excidium decantans.

NOn pater Vrbis eras; potiùs, Nero lethifer, hoſtis:
Heu, nimis experta eſt tradita Roma rogis.
Quam læta (ò pectus truculentum) fronte flagrantem
Deſpectare tibi non ſatis vſque fuit:
Es quoque dulciſona teſtatus gaudia, voce,
In Mæcenatis Troica turre canens.
Vrbe ſed incenſa, cecinisti, barbare, ſolus;
Corpore at Vrbs cecinit tota, flagrante tuo.

GAL-

GALLIENVS IMPERATOR

in quemdam gemmarium mitiſſimus, qui pro veris gemmis IMPERATRICI vitrum vendiderat.

PRo veris, vitreas gemmas bona ſuſcipit vxor
Cæſaris; at pœnas, fraude patente, petit.
Ergo illuſorem raptari in vincla repentè,
Exponiq; feris dentibus iſte iubet.
Cumq; tremens reus expectat trucis ora leonis,
Ridiculus capo proſilit in medium.
Digna inflicta quidem pœna eſt: deceperat ille,
Deceptus miti à Principe & ille fuit.

CAMBYSES PERSARVM REX

Iudicem SISAMNEM ſibi chariſſimum

iuſſit excoriari,

quòd iniuſtam ſententiam, pecunia corruptus, tuliſſet.

IVdicio iniuſto rapiens aliena Siſamnes,
Detracta è miſero corpore pelle, perit.
Cambyſes dignam ſtatuit pro crimine pœnam:
Decorians alios, decoriatus obit.

Ad quemdam Iudicem iniuſtum poſt CAMBYSIS mortem.

CAmbyſis iuſſu, direpta pelle Siſamni,
Abſtulerat miſeras qui male iuſtus opes,
Iudicij inſtratum (facies horrenda) tribunal,
Vt recti cuſtos quiſque, tenaxque foret.
Hæc quoque, qua reſides, Iudex iniuſte, tegenda
Pelle foret ſedes, pelle tegenda tua;
Morte ſed ereptus Cambyſes (ſors tua) terris:
Hanc vitam, morti Principis annumeres.

In dictum HELIOGABALI Imperatoris, ponderatis aranearum telis,

Roma eius iuſſu collectis.

TExuerat Romæ quas plurima aranea telas,
Librari Rector iuſſerat imperij:
Cumque onus omne, decem librarum millia noſset,
Quàm vaſta, hinc, dixit, diſcere, Roma, licet.
O verba ad Cœlum magnis tollenda cachinnis:
Hinc mage diſco, quâ ſi ſordida Roma foret.

Mors

Mors ÆSCHYLI Poetæ ex ictu Teſtudinis, ab Aquilæ vnguibus demiſſæ,

Ad eruditiſſimum Virum

DONATVM MARIAM BARBERIVM, Iuriſconſultum,

Diſcipulum olim Auctoris.

PRæcipiti motu, Donate Maria, ruit Mors,
Heu, ſemper: moriens Æſchylus ecce probat.
Æſchylus vt caueat, delabens nequid ab alto,
(Audit vt in fatis eſſe) repente necet,
Tecta fugit, caluo patefacto & vertice tantùm,
In campi fouea ſuſtinet iſte moras.
Aſt Aquilæ Teſtudo ruens ex vngue, Poetæ
In caput, hunc miſera cæde repente necat.
Mors ſemper feſtinat iter: Teſtudo vel ipſa
Occiſura, pigrum neſcit habere gradum.

In idem argumentum.

ÆSchylus orbe latens foueæ, manet æquore campi,
Ex alto ne quid decidat, atque necet.
Vnguibus aſt Aquilæ Teſtudo excuſſa, putantis
Nudatum cernit quod caput, eſſe petram,
Percutit, effringitq; caput, perimitq; Poetam,
Seq; docet cunctis Mors habitare locis.

In idem argumentum.

EFfugiſſe domum tibi quid nunc, Æſchyle, prodeſt?
In caput ecce tuum nunc domiporta ruit.

In idem argumentum.

NE qua domus pars fortè necet, quãdo, Æſchyle, curas,
Ecce necat tota te domiporta domo.

De carminibus P. VIRGILII MARONIS Æneidis,

Quæ ille, vt inemendata, & imperfecta, teſtamento comburi iuſſit.

Ad doctiſſimum Virum, IO: BAPTISTAM CONRADVM ASCVLANVM.

CArmina Virgilij, Conrade, excelſa quis æquet?
Carmina, nullus adhuc, qui daret æqua, fuit.
Attamen hæc tabulis, velut imperfecta, ſupremis,
Abſumi properis iuſſerat ille rogis.
Quis perfecta igitur iactet ſua carmina, ſi vel
Illa imperfectis inferiora facit.

De

De ſuorum Epigrammatum lemmatibus,

AD LECTOREM.

LEmmata, Lector, ais, tua longa: breuiſſima fient,
Hæc ſi prætereas; carmina ſola legas.

AD EVMDEM

longorum cauſa lemmatum ineptè interrogantem Auctorem.

CArole, cum ſimilis ſtudeas Marci eſſe Camænæ,
Cur es diſſimilis lemmate? Lector, ais.
Digna eſt, digna quidem, Lector, tua quæſtio riſu:
An bonus hic Vates, quòd breue lemma facit?

In Philoſophi HERACLITI caput, ex electro;

AD MARCELLVM MAZÆVM,

Anconitanum, Auctoris Fratrem.

EN Phaethontiadum lacrymas teſtantia, vultum
Plorantis referunt ſuccina mæſta Senis.
Hic quàm, Marcelle, infelix; lacrymatur & vſque:
Se neque poſt obitum temperat à lacrymis.
Quin lacrymis tantùm huic oculi, dum vita, fluebant;
Defuncto, facies tota abit in lacrymas.

Æni-

Digitized by Google

Ænigma.

1 O Ploranda nimis, ſanè nimis, optima Mater:
Ex te qui natus, non niſi peſsimus eſt.
Infelix Mater, Materque miſerrima: ſemper
2. Hic, preſsa vt iaceas, curat, &, vt pereas.

1. *Quæ hæc Mater ſit, quis hic Filius, noſce ex illo* Terentij *in* Andr. Veritas odium parit.
2. *Sic dictum, cum respectu ad eos, qui odio veritatem proſequuntur: ij enim mendacijs conculcare veritatem, atque extinguere omninò conantur.*

Verba APOLLINIS ad MARSYAM Phrygium, hunc, in cantus certamine ſuperatum, excoriantis, huiuſque ad APOLLINEM verba.

M Arſye, Apollo ferox, cantus certamine victo,
Suſpenſo è pinu ſic at, excorians.
Marſya inique, Deum punitus diſce vereri:
Si neſcis, homo non ſum, ſed Apollo Deus.
Contrà ait ille: Deum punitus temnere diſco,
Carnificis quando turpiter arte valet.

MAR-

MARSYAS ita queritur cum APOLLINE, in fluuium ſui nominis ab eo mutatus.

CRudelis nimiùm, nimiùm crudelis Apollo;
Pellibus, ah, fuerat me ſpoliaſse, parum?
Barbare, nonne ſatis, quòd me in certamine cantus
Viciſti audacem, nex truculenta fuit?
Iam nece dandus erat noſtris modus, effere, pœnis;
Terminus, heu, lacrymis iam nece dandus erat.
Nunc quoque me crucias; lacrymarum nunc quoq; largas,
Conuerſum in fluuium, fundere cogis aquas.

De HERCVLE, qui adeò exarſit amore OMPHALES Reginæ Lydorum, vt, ea iubente, fœmineis ſe veſtibus induerit, colum ſumpſerit, neueritque.

Ad Amatores impuros.

CVi priùs exuuijs horrebant membra, leonis,
Nunc ſub fœmineo tegmine fracta iacent.
Exuuia qui iam clauam cum laude gerebat,
Nunc gerit infami cum leuitate colum.
Quiq; manu inuicta priùs horrida monſtra domabat,
Nunc leuiter mollis fila trahit digitis.
Sic Mulier dilecta iubet; ſic paret Amator:
Quàm te ridiculum reddit, Amator, amor.

DE EODEM,

in idem argumentum.

QVæ domitrix fuerat validarum dextra ferarum,
Nunc facta eneruis, mollia penſa trahit.
Victor ab indomito quiſnam diſcedet amore,
Quando, vel Alcidis robora fregit amor?

Contrà Statuam BACCHI ſedentis ſuper dolio, ex quo aquæ promanant.

Fons eſt Romæ, in Ædibus CASSIANI PVTEI, *Equitis clariſſimi.*

QVàm malè Bacchus aquis ſuperinſidet oſor aquarum:
Hic, cui vina placent, quàm malè fundit aquas.
Authorem nunquam puto viuida vina bibiſſe,
Sed gelidas vndas: frigidus ille fuit.

In laudem eiuſdem BACCHI, aquas effundentis.

QVid? malè fundit aquas, vinum qui potat Iàcchus?
Qui vinum potat, non malè fundit aquas.
Stulte, ſibi gratum vinum vis, fundat Iàcchus?
Fallere; quas odit, fundit Iàcchus aquas.

Quare

Quare alij imberbem BACCHVM, alij barbatum finxerunt.

DIcite, cur alij imberbem finxere Lyæum,
Barbatum contrà cur cecinere alij?
An, quòd, & infanti, & puero, iuuenique, viroque,
Atque ſeni, vitis dulcia dona placent?

De LVCINA, dicta quoque DIANA.

Ad humaniſsimum Virum, Iuris vtriuſque Doctorem

IOANNEM FELICEM FIDELEM.

TRiſtia, iure doles, vitæ ſpectacula cernens,
Ioannes Felix: vita dolenda nimis.
Vitæ Heraclitum ſemper mala multa dolentem,
Cum gemitu has voces ſæpè dediſſe, reor:
Naſcenti Lucina præeſt; eademq; Diana eſt:
Nos miſeros! quæ nos excipit, ipſa necat.

DE VENERE PRAXITELIS ſine pedibus.

PRaxitelis quàm viua fuit Venus arte, requiris?
Addere, ne fugeret, noluit ille pedes.

DE CVPIDINE, ET MORTE

Vitta oculos præcinctis.

Ex dicto italico: Colpi da cieco.

AD P. ANTONIVM à S. IO: BAPTISTA, Romanum Ex Patribus Scholarum Piarum,

Authoris olim Auditorem.

TEla volant rigidi quæ miſſa Cupidinis arcu,
Percuſſura graui vulnere tela volant.
Quodque cruentatum ſtringit Mors horrida ferrum,
Non niſi lethifero vulnere membra ferit.
Ictus ne, Antoni, ſtupeas: clauduntur vtrique
Lumina: cœcorum, vulnera, more ferunt.

De morte REMI, ROMVLI fratre.

Ex carmine Ennij *apud* Cic. *de* Diuinat. *libro primo.*

Certabāt, Vrbē, Romā'ne, Remam'ne vocarent.

Concluſum iocosè, argutè tamen, cum relatione ad hæc nomina, Roma, *&* Rema, *vna tantùm littera, differentia.*

C*Ertabant, Vrbem, Romam'ne, Remam'ne vocarent:*
Hinc nex orta: Remus cuſpide fuſus humi.
Cauſarum cædis fuit iſta leuiſſima cauſa:
Quæ leuior? cædis, littera cauſa fuit.

De

De Matre hebræa,

Quæ, expugnante TITO VESPASIANO *Hieroſolymam, vt fami conſuleret, occidit filium.*

Ex dicto Auguſti, *audita nece, illata ab* Herode *proprio filio*: Satiùs fuiſſet, domi Herodis ſuem eſſe, quàm filium.

IMpietas! quem vix fudit vitalibus auris,
Dat pulſura famem, Mater hebræa neci.
Aptius huic, Natum, quo ſuppetat eſca, necanti,
Cæſar in Herodem quod benè torſit, erit.
Quàm Natum, eſſe ſuem certè præſtabat: at ille
Non Natum occidit, Natus vt eſca foret.

De Lupa ROMVLI, REMIQVE Nutrice, & Matre hebræa, quæ filium deuorauit.

Hexaſtichon.

MOta lupa extemplò mira pietate, puellis
Admouit tremulis vbera Martigenis.
Mater at è contrà, ſtimulis agitata ferinis,
Sedauit Nati corpore hebræa famem.
Exclamare licet: crudelis, hebræa, voratrix,
Tu lupa, non mater; ſed lupa, mater erat.

Idem

Idem Tetraſticho expoſitum.

MArte ſatis Pueris lupa porrigit vbera: Natum
Exſtimulata fame, Mater hebræa vorat.
O qualis pietas! feritas ò quanta! parenti
Es, lupa, tu ſimilis; tu, lupa facta, parens.

Idem Diſticho ſignificatum.

MArtigenas aluit lupa: Natum hebræa vorauit:
Sic fuit illa parens; ſic fuit iſta lupa.

Idem Monoſticho comprehenſum.

ESt lupa, hebræa vorans: lupa, præbens vbera, mater.

Digitized by Google

Epigramma vafra dicendi ratione compoſitum,

Ad callidiſsimum SINONEM Troiani incendij cauſam,

Qui apud Virg. Æneid. *lib.* 2. Priamum *Regem, Troianosq; ſic incipit affari, fictis vocibus, lacrymisque.*

Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere? aut quid iam miſero mihi denique reſtat?

HEu, quæ terra, Sinon, inquis, quæ me æquora poſſunt
Accipere? aut miſero quid mihi reſtat? ais.
O mea quanta tui miſeratio viſcera torquet,
Dum tibi terra, Sinon, dum negat vnda locum.
Parce tamen lacrymis; non cuncta elementa negantur,
Aer obſequio præſtò erit, ignis ope.
Gaude: aer aderit tibi promptus, promptus & ignis;
Hæc tibi ſuppetias, crede, elementa ferent.
Te meritis celſo, famulans lætabitur aer,
Intereà dignas igne vibrante faces.

Epigramma ad SINONEM eumdem.

Quo patibulum, & combuſtionis ſupplicium *contentum ſuperiori Epigrammatę, clarę ſignificatur.*

FIcte Sinon, cuius mox Troia cremabitur aſtu,
  Quo nil callidius Græcia tota dedit;
Heu, quæ nunc tellus, inquis, quæ me æquora ſument?
  Aut mihi quid miſero denique reſtat? ais.
Troianorum animos his vocibus incipis aptè
  Fallere, & his animos flectere lacrymulis.
Dicam ego, praue Sinon, tellure, vndaque negata,
  Denique quid reſtat; dicam ego, praue Sinon.
Vt citò ſuſpenſo gelidus tibi ſibilet aer,
  Quemque paras alijs, protinus igne flagres.

Ænigma.

QVis non obſtupeat? quamuis mihi ſit caput vnum,
  Non duo tantùm oculi; bis mihi mille oculi.

Significatur hoc Ænigmate, *numerus* mille: *Caput notat primam litteram huius dictionis*, mille. *Dictum autem*, bis mille oculi *cum relatione ad homines, quos hoc loco per numerum iſtum Auctor intelligit.*

SINON.

Anagramma purum.

NONIS.

In Anagramma,

AD TROIANOS.

Laocoonta audi; ne, Teucria, crede Sinoni;
In tua damna ingens hic fabricatus equus.
Nulla fides Græco: mille hic mendacia profert:
Argolicis, caueas, ne capiare dolis.
Fingere ſcit lacrymas; ſcit fingere verba: dolorum
Arte ſagax, nimium calliditate valet.
Calliditate valet nimium; ſatis arte Pelaſga
Inſtructus, fraudes pectore mille fouet.
Hic totus mendax, totus vafer: hic patet vno
Nomine, at inuerſo nomine, veridicus:
Ergo ex inuerſo, qualis ſit, nomine, diſce:
Verſutum inuerſo à nomine noſce caput.
Ecce, Sinon, non qualis adeſt, eſt, Teucria, talis.
Inuerſum nomen, Teucria, NON IS, ait.

De Salutatore Italo,

cuius hæc conſueta ſalutandi forma:

Seruitor', Padrone.

Ad Dominum LABRONEM, natione Germanum.

LAbro, ſalutantis fallaci illuderis ore,
Dum ſeruo primùm, pòſt Dominoq; ſonat.
Neſcis Italidum, Labro, mentis acumina neſcis:
Argutum nimis eſt his, mihi crede, caput.
Quis ſeruire velit, ni paupertate coactus?
Quis, ni amens, Dominus reſpuat eſſe, Labro?
Quem quiſquam alloquitur, recto ordine nominat ante:
Hunc primùm, pòſt ſe nominet, ordo petit.
Verba ſalutator ſolito vafer ordine promit:
Te ſeruum, Dominum ſe vocat ille tuum.

Æni-

Ænigma.

FRatre prior natus, fruitus ſum luce ſecundus,

Notatur hoc Ænigmate, liber primus, *ſed editus poſt ſecundi libri editionem, vt patet, feciſſe* Martialem, *ex ipſius epigrammate vltimo libri ſecundi, ſic enim habetur in illius principio:*

Primus vbi eſt, inquis, cum ſit liber iſte ſecundus?
Quid faciam, ſi plus ille pudoris habet?

Virgilij carmen, Æneid. lib. 9. de Rutulis, *acerrimè; præſente* Turno *decertantibus,*

Tum verò incumbunt: vrget præſentia Turni,

ad ſequentis Epigrammatis compoſitionem, Auctoris ingenium excitauit.

Ad præſtantiſſimum Poetam,

latinis, hetruſciſq; compoſitionibus metricis, metroq; ſolutis celeberrimum,

IOSEPHVM BAPTISTAM.

SEria non ſemper (noſcis, chariſſime Muſis
Ioſephe) inſpirant Muſæ; indulgere iocoſis
Interdùm iuuat, & lepidis dare carmina rebus.
Carmina læta igitur, facili lege fronte, Maronis

Carmine quæ lectis mihi ſuggeſsere ſequenti.
Tum verò incumbunt; vrget præſentia Turni.
Iam primis poſitis epulis, multiſque paratis
Carnibus elixis, varijs quoque carnibus aſsis
Illatis, graue mazonomum quàm plurimo onuſtum
In menſam infertur, turdo: tunc promptiùs omnis
Furcinulam exercet, cultrum, denteſque, volucris
Carnibus vt valdè ſapidis ſaturetur obeſæ.
O quàm, conuiuas agiles bona fercula reddunt.
Miranti celeres motus, cauſamque roganti
Conuiuas Domino, quendam dixiſse facetè,
Feſtiuèque ferunt: *vrget præſentia turdi.*

Quodnàm bellum, bellè bellum dicendum.

Ad eumdem clariſsimum Vatem,

IOSEPHVM BAPTISTAM.

Authori amiciſsimum.

QVod bellum dicam bellè de nomine bellum?
Ad quod conuiuas, puto, prandia lauta laceſſunt.
Hoc, Ioſephe, mihi bellum ſic iure vocandum.
Hoc bellum, bellum eſt, non hic clamoribus ictæ
Triſtibus, at lætis recreantur vocibus aures.
Hoc bellè bellum dicendum: haud corpora terrent
Hic occiſa, oculos, nullique ex hoſte timores
Inſurgunt reliquo; quin quò numeroſior hoſtis
Irruit

Irruit, hòc magis exultant interrita corda.
Atque licèt videas, nimio certare furore
Armatas dextras, tamen hic victoria parta
Efferat haud hoſtes vltrà; placabilis illis
Ira, furorque breuis: quamquam nam vulnere multo
Corpora diſſecuere, adeòque in fruſta putarunt,
Nō inhumata tamen, canibuſque vorāda relinquunt;
Sed (qualis pietas!) ne ſint ſine honore ſepulchri,
Victrici dextra, propria intrà viſcera condunt.

Cibi ſecundæ menſæ cur dicti, bellaria.

Ad Dominum LVDOVICVM GABVTIVM Firmanum,

Auctoris olim Auditorem.

QVæris, cur fructus, cur melle, aut ſacchare multa
Condita, illata in menſam, Ludouice, ſecunda m,
Quæ fauces, ſtomachumque beant, *bellaria* dicta?
Indicta occurrit ratio: bellaria forſan
Dicuntur, quòd bella mouent, & ad arma laceſſunt,
Quippe fame expleta, placidè dum cuncta quieſcunt,
Et tranquillato pax dulcis corpore regnat;
Poſtquam intromiſſa hæc irritamenta gularum,
Ingluuies iterum aſſurgit, manus improba rurſus
Arma capit, vigilantque oculi, denteſque trucidant
Immeritas epulas, ventriſque ſub i..fera trudunt.

 Orto.

Opto, & poto.

O*Pto* parit *poto*, præeat ſi littera : *poto*
Opto parit, pariter littera ſi præeat.
Sic quoque præpoſito generoſi munere Bacchi,
Optans, & *potans*, *potat*, & *optat* adhùc.

AMICVS MENSÆ.

Anagramma purum.

EN, IS MVSCA MEA.

In Anagramma.

DE AVLO NASVTIO.

SEmper adeſt Aulus, Menſæ, dum prandeo, amicus :
EN, IS, fas igitur dicere, MVSCA MEA eſt.

Quiſnàm hyemali tempore calor optimus.

AD OBESVM MERIDAPIVM.

SOle calent, igniq; calent, & corpora motu
Vtiliter : bonus eſt, ſolis, Obeſe, calor.
Attamen hoc melior, quem flammiger ingerit ignis :
Quem motus parit, eſt optimus ille calor.

AD

AD EVMDEM,

De eodem.

FIne equidem verò clauſum eſt epigramma; ſed, inquis,
Hic nihil ad ſtomachum prorſus, Amice, facit.
Dicendum meliùs: calor optimus ille, Lyæus
Quem validus, lautæ quem peperere dapes.

AD QVIRINVM PANSAM

calculorum doloribus excruciatum,

non tamen largis epulis, optimoq; vino parcentem.

VT potes in medio, ſtomacho indulgere, dolore,
Dum lapis inſuetum rumpere tentat iter?
Hic dapibus lautis, validoq; Quirine, Lyæo
Gignitur; abſtineas, ſi tibi chara ſalus.
Parce, ô, parce gulæ, mortis memor: ecce ſepulchri,
Prægrauis ipſe lapis te meminiſſe iubet.

De ijſdem calculis.

cum alluſione ad calculos, quibus ſubducuntur rationes.

INtùs qui lapis exortus, grauat intùs; iterq;
Vi quærens, letho corpora ſæpè premit,
Calculus appoſitè dictus de nomine: ſæpè
Annorum ſummam calculus iſte notat.

Æni-

Ænigma.

HOſtem, dic mihi, quis timore nullo
Poſſit lædere, talionis æquæ.

Cæcus, nam ſi is alteri oculum, vel oculos eruerit, quomodo cum eo lege talionis agas, qui caret vtroque?

AD HIERONYMVM BARBATIVM,

Paduanum, Medicum, quadam aqua, de qua ſcripſit,

podagræ dolores breui ſedantem.

Diſticha II.

I.

IRatam podagram ſedas, Hieronyme, lympha,
Miraturq; artem, plena quiete, tuam.

II.

IGnito humore ardeſcit ſuccenſa podragra:
Quid mirum, podagræ ſi perit ignis, aqua?

Malum, *ideſt*, damnum, *ſeu* pœna, *undè dictum*.

V Nde malo nomen? mali de nomine nomen?
Prima mali, malum cauſa fuit vetitum.
Namque malum quamuis nolint producere Vates,
Quiſque tamen longum clamitat eſſe malum.

In illud Horatij, *Od.4. lib.1.*

P Allida Mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turres, ò beate Sexti.

Ad Comitem CÆSAREM de FERRETTIS, Anconitanum,

Anconæ olim apud Patres Scholarum Piarum condiſcipulum, petentem, cur Vates iſte dixerit, pulſat pede, *cum pulſare pede, ruſticorum proprium ſit, inurbanorumque.*

C Æſar, ais: Regum turres, inopumq; tabernas,
Mors æquo pulſat, cur, pede, Flaccus ait?
Mors pede pulſat? ais: pulſat ſic ruſtica turba,
Et quiſquis mores ruſticitatis habet.
Quid cauſam, Cæſar, cum ſit manifeſta, requiris?
Cauſa quoque eſt verbis, Cæſar aperta tuis.
Mortis inurbani mores; Mors ruſtica ſemper:
Qui dedit huic falcem, nonniſi iure dedit.

Ani-

Animam amittere, pro, mori,

benè dictum ab antiquis ethnicis, ipſoq; Cicerone.

AMiſiſſe animam, defunctum munere vitæ,
Dixit cum priſcis Tullius vſque ſuis.
Iure ſuis dixit cum priſcis Tullius vſque:
Priſci amittebant, Tartaro hiante, animam.

Mors pallida.

MOrs, dum maturos vitæ capis arbore fructus,
Iure capis; putridos at fere ſemper amas;
Vel crudos ediſſe iuuat: longæua ſenecta
Teſtis, & ante ſuum rapta iuuenta diem.
Quid mirum, facies tibi ſit ſi pallida ſemper?
Putrida, Mors, ſemper, crudáue poma voras.

Mors quare generis tantùm fœminei.

SI Mors communis (nam Mors quibus effera parcit?)
Fœmineum tantùm cur habet illa genus?
An ratio hæc? vetitum pomum, Mors vnde, momordit
Eua prior: Mortis Fœmina origo fuit.

AD PROSPERVM ROSETTVM

Quærentem, quare Mors bonos plurimos *citò rapiat; contrà, multos malos diù viuere ſinat.*

CVi multis, feſtina probis, Mors ſtamina vitæ
Rumpit, ais, multis ſtamina, tarda malis?
Dic mihi; cur ſpinas cernis durare nocentes,
Innocuaſq; breui luce perire roſas?

DE P. OVIDIO NASONE,

In cuius carminibus, frequenter eſt varia verborum lectio.

AD AVITVM HILARIVM.

PEligni Vatis, quæ tanta licentia, Auite,
Plurima tam varijs ducere verba modis?
Quilibet (improbitas) Naſonem vexat, & angit:
Naſoni naſum ducere quemque iuuat.
O miſerum: viuum innumeri torſere dolores;
Eſt quoque defunctum pœna ſecuta ſenem.
Viuenti naſus Naſoni longus an eſſet,
Neſcio, defuncto longus, Auite, patet.

AD

AD EVMDEM OVIDIVM,

quòcum HORATIVS FLACCVS verſabatur, vt idem ait Ouidius lib. 4. Triſt. eleg. 9.

Detinuit noſtras numeroſus Horatius aures.

Detinuit noſtras numeroſus Horatius aures.
Tecum, Ouidi, Flaccus? res noua, mira fuit.
Nox velut, ille fuit tenebroſus carmine, tuq;
Clarus, vti clarus cernitur eſſe dies.
Res noua, mira fuit, namque eodem tempore, vobis
Coniunctis, nox eſt viſa, dieſq; ſimul.

Ad VIRGILIVM Pictorem HORATIVM expreſſurum cum OVIDIO.

Nunc picturus Horatium poetam
Cum Nalone, parùm, parùm labores;
Multa non opus arte penicilli.
Hic clarus nitet, ille terret ater.
Addas tu modò, crede, non neceſſe
Vmbras, lumina, Virgili, tabellæ:
Alter lumina fundit, alter vmbras.

Ad eumdem VIRGILIVM Pictorem,

Quem non ſolùm nomine Latinorum Vatum Principis *illuſtrari Auctor oſtendit, ſed etiam arte.*

VT pictura, poeſis eſſe debet:
Olim ſcitus Horatius docebat.
Vt pictura referre ritè noſtri
Affectus animi ſolet latentes,
(Quos tu mirificè exprimis tabellis)
Sic tic optima perficit poeſis.
Sicut Virgilij patet Camæna.
Cui quis te ſimilem neget per artem?
Non ſolum tibi nomen eſt profectò.
Eius nomine non niteſcis vno.
Cum motus animi probè recludas,
Sanè Virgilij optimi poetæ,
Et nomen geris, & niteſcis arte.

De

De Diuitibus ſplendore virtutis conſpicuis,

ac de Diuitibus, ignorantiæ tenebris obtectis.

Ex verbis Ciceronis *in Parad.*

Reuiuiſcat Man. Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa, ac domo, nihil ſplendidum, nihil ornatum, præter ipſos.

Ad nobiliſsimum, & eruditiſsimum Virum,

ANTONIVM PHILIPPVM, BANDINVM,

Camertem, Auctoris quondam Auditorem.

CLarorum virtute Virùm Pallatia, nullo
Tullius ornatu dum decorata videt;
Sic, vocem attollens, ſolito de more profatur:
Hic, præter Dominos, ſplendida nulla nitent.
Tu contrà, decorata videns Pallatia, quorum
Indoctos Dominos mens tenebroſa premit,
Quàm bene in has poſſis, Bandine, erumpere voces:
Hic, præter Dominos, ſplendida cuncta nitent.

Ad Diuitem, libertatis cupidum, anguſta vtentem rheda.

CVr anguſta vehit clauſum te rheda per Vrbem,
Si libertatis, diues, amore flagras?
Vera tibi nunquam libertas: tempore noctis
Te domus, & lucis tempore carcer habet.

Ad Philoſophum SENECAM ſic exclamantem:

Quid appetis aurum, cum nihil ſit, niſi terra ſulphurea?

EXclamas, Seneca: inſipiens cur appetis aurum?
Eſt aurum, tellus nil niſi ſulphurea:
Quid, Seneca, efficies tanto clamore? tacendum:
Sulphurea hæc tellus commoda cuncta parit.

Honor ab opibus, & auro.

HON Iudæus *opes* appellat, Gallus *or*, *aurum*:
Vtraque ſi coeat vox, *honor* inde venit.
Aptè: opibus fauſtos homines, auroque potentes,
Vt comes adiunctus mox comitatur honor.

AD MAXIMIANVM SCEPTRIVM,

petentem, cur tabernarij dicant ipſi pertranſeunti:

Domine, iubes'ne aliquid?

QVæris, cur rerum dominus, famulus've tabernæ
Clamat: fortè aliquid, Maximiane, iubes?
Scilicet agnoſcunt nummatum te bene, cuncti:
Auri poſſeſſor, Maximiane, iubet.

AVLICVS.

Anagrammata III.

I. HVIC LAVS. *h, additum.*
II. CLAVDVS. *i, in d.*
III. CALVVS. *i, demptum.*

In Anagramma I.

AVlicus eſt? ſemper te laudibus inſeret aſtris:
HVIC, vt adulanti, LAVS ſine fine ſonat.
Quiſquis adulari neſcit, diſcedat ab aula:
Fallax ſynceros non amat aula viros.

In Anagramma II.

D, Poſito, I, dempto, qui dicitur Aulicus, idem
CLAVDVS erit:claudus, cerne Anagramma, patet.
Moribus at meliùs, claudus patet Aulicus; æquo
Nam nequit, obliquis moribus, ire pede.

In Anagramma III.

AVlicus, vt CALVVS: fictis velut iſte capillis.
Sic ficti eloquij decipit ille dolis.

AVLICVS RECTVS.

Anagramma. *v, in l.*

IS CLARVS LVCET.

In Anagramma.

QVem maculæ obſcurant ſcelerum, maculæque dolorũ,
Aulæ ſit multo clarus honore licèt,
Non tamen is lucet: verbis qui rectus, & actis
Aulicus, IS CLARVS LVCET, vt ipſe notat.

Ad FLACCVM aulicum ſub noctem ſedere ſolitum.

AVlæ quàm vigil es cultor! quot greſsibus aulam
Flacce, terris! quoties flectere terga ſoles!
Iure ſedes tandem ſub noctem; laſſa fricanſque
Terga, æquare ſtudes gibba tot obſequijs.

Aulicus claudus

Ad Irriſorem.

CVr me derides, excelſa palatia, clari
Calcantem Domini greſsibus imparibus?
Ambulat haud aliter, ſi neſcis, Aulicus: imò,
Qui graditur meliùs, claudicat ille magis.

Senex

Digitized by Google

Senex coniunctus amicitia cum Morte:

ex dicto Catonis Maioris *apud* Ciceronem *lib. de Senect.* omnium ætatum certus eſt terminus; ſenectuti autem nullus certus terminus.

Ad officioſiſſimum Dominum,

Dominum PETRVM CÆSIVM Romanum.

TErminus eſt certus cunctis ætatibus: vna
Ignorat certum, Petre, Senecta modum.
Non Mortis timet arma ſenex venientibus annis,
Quæ ſemper valida depulit antè manu.
Quin Senis inuicti Mors admirata triumphos,
Cum Sene longæuæ fœdera pacis amat.
Non timet, imò Senex Mortem vocat; illaque tandem,
Pertæſum vitam, tollit amica Senem.

Ad Hominem annoſum,
ex nomine, Senex,
Quod, priori, e,præpoſito, ſonat: Es nex.

MOrs, effœte Senex, cum ſit tibi proxima, mortis
Immemor, hanc longè tu procul eſſe putas?
Longa ætas,velut enſe, ſecat tibi ſtamina vitæ:
Es tibi nex: neſcis nomine clara tuo?

Cuiuùs vocabulo, vltimus *pro* primo, *aptiùs adiungatur*, *à* Catullo *enim* origo vltima *dicitur*, *à* Virg. vltimus author, *à* Cicerone, vltimum principium, vltima antiquitas, *&c.*

Ad Patrem IOSEPHVM MARIAM, à IESV, Veientem, Religionis Paup. Matris Dei Scholarum Piarum,

Authoris quondam Auditorem.

V*Ltimus* eſt *primus*; ſic, vltima origo, Catullus,
Sic Vatum Princeps, vltimus author, ait.
Sic Cicero, Ioſeph, voce hac eſt vſus; & aptè:
Scilicet exactum tempus & ipſa notat.
Aptiùs aſt ætas ſenis indicat vltima, primam:
Prima, ætas ſenis eſt vltima, nam puer eſt.

Cur Senes auariores.

ex dicto italico.

I denari ſono ſangue de l'huomo.

AD QVINTILIANVM MOROSIVM.

ANxia cur auri plerumque potentiùs angat
Cura ſenes, multos, Quintiliane, rogas.

Multi

Multi multa ferunt auidè reſponſa petenti;
Non tamen vlla tibi, Quintiliane, placent.
Quæ ſit, fortè, meæ, poſcis, ſententia mentis?
De more, hanc lepidè, Quintiliane, feram.
Intimus eſt homini, iucunda pecunia, ſanguis:
Recreat hæc Dominos, exhilaratq; ſuos.
Sanguinis ergò ſenex humorem cum ſibi inertis
Sentiat ætatis frigore diminui,
Acrius inuigilat nummis, ne vita, cruore
Nummorum pariter deficiente, cadat.

In honorem IOANNIS BOSDARII, immatura morte *præcepti, videlicet XVII. ætatis anno, cum iam, poſt Theologicum curſum præclarè peractum, laurea eſſet vtriuſq; Iuris Doctoris decorandus.*

IOanni eximio cum præmia Terra pararet,
Mors ruit, vt Cœlum nobiliora daret.

Iuuenta, Senecta, Iuuenis, Senex, *aptiſſimè eiuſdem inter ſe declinationis.*

LEge Iuuenta pari graditur, graditurq; Senecta;
Par gradus eſt Iuueni, par gradus atque Seni.
An diſpar vita eſt? dubia eſt; properanter vterque
Mortem adit: ad Mortem par quoque vtriq; gradus.
Plurima cum ſimili gradiantur nomina greſſu,
Aptiùs his, dicas, nomina nulla gradi.

AD MARONEM DE LEGISTIS.

De quibuſdam Libris, agentibus de Morte.

PEllibus Agninis, Maro tecta volumina cernis?
Sis memor vt mortis, plurima mortis habent.
Parce aperire libros: opus eſt quid lectio? mortis
Vel, memor, inſpectis pellibus, eſſe potes.

Quoniam homo auerſis pedibus in vitam ingreditur, pedibus verò conuerſis effertur ad ſepulchrum,

argutè infertur, naturaliter inſitum homini, odiſſe vitam, amare ſepulchrum.

AD HIBRVM QVÆRENGVM.

CVr vitam auerſis pedibus, pedibuſq; ſepulchra
Pòſt homo conuerſis cur petit, Hibre, rogas.
Ipſa fugit miſeram vitam natura, libenſq;
Naturæ ductu quiſque ſepulchra petit.

Ex

Ex eodem lemmate

omninò contrarium infertur, non minùs arguté.

AD EVMDEM HIBRVM.

QVid? vitam natura fugit? naturæ & ad vrnam
Ductu, it quiſque? libet nunc ſecùs, Hibre, loqui.
Cur capite in vitam ingreditur puer ergo, & ad vrnam
Cur pedibus fertur, denuò quæris, Hibre?
Cernendæ vitæ cupidus nimis ille, & ad vrnam
Pòſt, caput auertens, vi trahitur pedibus.

Mortem ſibi prædixit Auctor

in decurſu inchoati ſæculi à ſalute Mundi decimi ſeptimi, ex notis anni, quo hoc Epigramma compoſuit, 1660,

acceptis tamquam litteris, in ipſo enim anno legitur

160, *&*, 061, *ideſt*, ibo, *&*, obi.

Ad MARCELLVM MAZÆVM fratrem.

BIs ſæclis octo exactis, duodena recurrunt
Luſtra, & ad occaſum me mea luſtra ferunt.
Incepto moriar ſæclo: primordia ſæcli
Non ego venturi cernere poſſe puto.

Ex-

Expletis octo, totidem nec luſtra ſuperſunt,
Siue ætas auiæ, ſiue ſuperſit aui.
Ipſe ætate minor poteris, Marcelle, videre,
Noſtrorum fuerit ſi tibi vita ſenum.
Eheu, iam fluxis annis, ſæcloq; fluente
Inſpicitur vitæ meta ſuprema meæ.
Ibo, iubent anni, me nunc clamare, dolenti
Atque mihi, reſonant: (ibo ego frater) *obi*.

Ex notis anni, 1660, tamquam litteris, vt ſuprà, acceptis, *Auctor hoc* Anagramma purum *compoſuit*.

6160, *ideſt*, bibo.

hinc ad ſequentis Epigrammatis *compoſitionem proceſſit*.

De HAICCO bibaci,

Qui anno 1660. *grauiter ægrotans, vetiti vini hauſtu ſanatus eſt*.

AD IOANNEM LVDOVICVM MERCI I.V.D. Auctoris olim Auditorem.

Hoc anno, febri exardens vinoſus Haiccus,
Præcepto medici ſumere iuſſus aquam.
Ergo diù, à Baccho, Ludouice, remotus amico,
Heu, quid agam? dixit: quid mihi potus aquæ?

Nil

Nil mihi potus aquæ prodeſt: febris acriùs vrget,
Membraq; languidiùs, debilitata, iacent.
Frigida dementis medici iam cura faceſſat;
Tu, præſens, eſto Clinicus, Anne, mihi.
Ipſe, *bibe*, reſonans, Bacchæos ſuggeris hauſtus:
(Verè namque bibit, qui bona vina bibit.)
Dixit: vina b bit, febriſq; remota, fuitq;
Annus potori grata medela ſuo.

Ænigma.

Lector, diſce nouum Monſtri genus: huic dedit vllum
Africa non vllo tempore, conſimile.
1. Cum caput huic vnum tantùm ſit, corpus & vnum,
2. Vnum etiam cernit quilibet eſſe pedem.
3. Peſq; ſit ipſe, caput, graditur ſi retrò, caputq;
4. Fit pes; ac differt inter vtrumque nihil.
Par forma eſt vtrique: tamen patet illicò cunctis,
Qui pes, eſſe pedem; quod caput, eſſe caput.
Sunt hæc mira quidem; tamen hæc veriſſima: Monſtrum
5. Attamen haud vnquam comprobat; imò negat.
6. O miſeros, vitæ cupidos, ſi ſcilicèt ægris
Hoc ipſis aderit; viuere non dabitur.
Hoc Monſtro præſente, æger perit omnis, amicæ
Vitæ auidus; viuet, ſi procul hoc fuerit.
At mihi vel cupido viuendi, vita premetur
Dum morbo, hoc vitam deneget, atque vetet.
Cui, bonitate Dei, vitæ eſt ſpes firma ſupernæ,
Iam tandem terris viuere me pigeat.

Hoc

Hoc Ænigmate *quod perceptu perdifficile videtur, aduerbium*, non *ſignificatur; quod ex Notis ſequentibus patebit facillimè.*

1. Cum caput) *Per, caput, huius aduerbij*, non*, notatur prima littera; per, corpus, ſecunda; & aptiſsimè, tum, quia, o, habet formam orbiculatam, tùm quia in medio eſt.*
2. Pedem) *Pes tertiam litteram ſignat, nam ibi vltima eſt; vt & ſuprà, prima littera ſignificata eſt per caput, quia in principio eſt illius vocis.*
3. Graditur ſi retrò)*ideſt ſi legitur ordine inuerſo.*
4. Differt inter vtrumque nihil.) *Namque, & prima littera, & vltima eadem eſt: hinc principium diſtichi ſubſequentis facillimè cognoſcitur, vt totum etiam intelligitur ex Nota ſuperiore.*
5. Attamen) *videtur, ex æquiuoco, ſignificari, quòd Monſtrum veriſsima neget eſse, quæ ſuprà ſunt dicta; at ita dictum eſt, quòd*, non*, aduerbium negandi ſit.*
6. Vitæ cupidos) *Vitæ enim cupidus, dum ægrotat, ſi non ore, corde ſaltem quidem ait: Vellem viuere: at ſi eo ex morbo moriturus eſt, adeſt ei*, non*, quodammodo, clamatque*, non: *ideſt, non viues: mors tibi non parcet. Ideòque ſubditur* Hoc ipſis aderit. Hoc monſtro præſente, *&c. hinc facilè intelligitur contrarium*: viuet, ſi procul hoc fuerit.

7. Hoc

7. Hoc vitam deneget) hoc *ſcilicèt* Monſtrum, non : *ideſt*, non *meæ vitæ mors pareat : diutiùs viuere me* non *ſinat*.

De ACEPHALIS hæreticis,

naturam vnam in Chriſto prædicantibus,

Qui ideò ſic dicti, quoniam eorum hæreſis caput, auctorque ignoratur; ; propterea quòd Accephalus, *latinè ſignificat*, ſine capite, *cui dictioni*, c, *Auctor geminauit, vt metro obſequeretur*.

Ad AD. R. P. VENCESLAVM à Sanctiſsimo SACRAMENTO, ex Patribus Scholarum Piarum,

Prouincialem in Polonia.

EST Chriſto natura duplex : ita credimus omnes ;
Accephali amentes, Venceſilae, negant.
Accephali dicti, quòd non caput eminet illis ;
Huius adhùc Princeps nam latet hæreſeos.
Quàm ſunt Accephali, quos tanta inſania cœpit !
Perſpicis ? his duplici deeſt ratione caput.

HÆ-

HÆRETICI VVALDENSES.

Anagramma. *a, demptum.*

HEV, A SENSV DERELICTI.

In Anagramma.

AD EVMDEM,

Diſtichon.

VValdenſes ſi vera negant, ſi falſaque credunt,
Quid mirum? ſenſu, Venceſilae, carent.

MARTINVS LVTHERVS HÆRETICVS.

Anagramma. *t. in i.*

HIC MISER VIR, REVS, VELVT SATHAN.

In Anagramma.

TVrbat cuncta Sathan; Lutherus cunctaque turbat
Iure ergo exclames: eſt velut iſte Sathan.

CALVINVS HÆRETICVS.

Anagramma. *abiectum*, *A*.

HIC REVS, VELVT CANIS.

In Anagramma.

ALlatrat, mordet, rodit, laceratque, voratque
Caluinus, rabidis dentibus, ore ferox.
Nãque VELVT CANIS eſt REVS HIC; ſed diſcrepat vno:
Eſt aqua grata cani; huic non aqua; vina placent.

Se ortum de Virgine MANES hæreticus prædicabat, ſibique nomen vendicabat deitatis.

MANES. Anagramma purum. AMENS.

In Anagramma.

QVòd ſe Virgine iactet eſſe natum
MANES, atque Deus velit vocari,
Miraris? leuis ille, prorſus AMENS:
Amentem quoque Nomen eſſe clamat.

Ad hæreticum ERASMVM ſtultitiæ laudatorem.

QVàm bene ſtultitiam laudas, inſignis Eraſme!
Materia ingenio conuenit illa tuo.

Ad

Ad hebræum, SALOMONEM nomine, Romæ, ſuper Monte Teſtaceo, ſingulis ſabbatis exquirentem Meſſiam, teleſcopio, *italicè*, occhialone.

QVi tot ab hinc ſæclis venit, veniſſe procaci
Meſſiam, Salomon, tu quoque voce negas?
Veridici ignoras, quod prædixere Prophetæ?
Ignoras populo nuncia clara tuo?
Hunc citò venturum per ſingula ſabbata clamas?
Montis & expectas culmine Dolioli.
(Quem miſer expectas? qui te, puto, trudat in Orcum
Dæmona; iam morti vita propinqua tua eſt.)
Optica & extenſa Galilæi fiſtula, an ille
Accedat, longo proſpicis intuitu.
Atque ais inſulſo vendenti ſcruta popello:
Non nihil apparet; neſcio quid video.
Quid videas, neſcis equidem: quid fiſtula clarat?
Fortè, quod apparet, bos erit, aut aſinus.
Inſanis, Salomon: tubulum confringe, repentè
Ne tibi confringant ſaxa rotata caput.

Amoris cauſa QVINCTVS inſanus factus, & ex caſu voluntario ad mentis ſanitatem reuocatus, *ſtultior, per argutiam, oſtenditur euaſiſſe.*

QVinctus Amatricis rapido inflammatus amore,
Conſortem thalami quæritat eſſe ſui.
Nubere cumq; illam fratres, vnàq; parentes,
Cognatiq; vetent, Quinctus amore furit.

Ac ſe præcipitem demens deturbat ab alto,
Cruribus & læſis limina claudus adit.
Mentem quiſque putat reuocatam; pectore Amatrix
Pulſa procul; thalami pectore pulſus amor.
Hiccine nunc, homines, ſanus? ne credite; non eſt:
Quin amens Quinctus factus amore magis.
Scitis, Amatricem cur temnit? claudus vt alter
Mulciber, hic Venerem nunc putat eſſe ſuam.

AD MARCVM BACVLEIVM,

Pilea, vel leuiſsima, ſibi grauiſsima exclamantem.

QVale tibi caput eſt, ò Marce? leuiſsima quamuis;
Pondera ſunt capiti pilea cuncta tuo.
Illa licèt molli palea, tenuique parentur,
Hæc, inquis, nimium pilea pondus habent.
Non eſt, crede, caput tibi debile; debilis eſt mens,
Marce, tibi, quando pilea quæque grauant.
Pilea, ſtulte, tibi fac, mala Cydonia texant,
Hirſutæ aut texant pilea caſtaneæ.

AD LICIVM ELLEBORINDIGVM,

Qui hypocondriaco morbo laborans, tria ſibi eſſe capita exiſtimabat.

DVm caput eſſe putas triplex tibi, nec t'bi triplex,
Duplex've, aut vnum, ſtulte Lici, caput eſt.

De SENECIONE Oratore tempore NERONIS Imp.

qui ioco dictus GRANDIO, quôd grandia omnia affectaret.

MAgna cupit ſemper, quæritque Senecio magna;
Et famulos magnos, vaſaque magna parat.
Vtque auditori videatur grandior, orans
Inſiſtit ſummis, magna tonans, pedibus.
At dum magna capit, quæritque, paratque, videri
Grandior & curat, mente puſillus homo eſt.

Ad OLMVM ſtultum,

Contrà axioma illud: Non datur vacuum in natura.

OLme, dari vacuum, cum cunctis antè negabam:
Nunc affirmo, tibi dum ſine mente caput.

De eodem OLMO ſtulto,

cui perſonato, loco pilei, nauis erat.

ex dicto de inſano:

Nauigat Anticyram.

MEnte caput vacuum, leuis Olmus quàm tegit aptè,
veligera naui dum tegit ille caput.
Iure caput leue nauis habet; nihil aptius illi:
Mente caput vacuum, *nauigat Anticyram*.

De varijs ſtultitiæ generibus tempore Bacchanaliorum.

Ad venuſtiſsimum Vatem,

MARCVM ANTONIVM PINVM,

cuius præclarum ingenium, vt Romæ olim admiratus eſt Auctor ipſius præceptor, nunc etiam celebres extollunt Academici.

STultitiæ ducunt quot Bacchanalia, Pine,
Per cunctas Vrbis ludrica monſtra vias.
Ridiculus longo hic naſo, croceoque galero
Iudæum ſimulat, Thrax ferus ille furit.
Rhinoceros hic, ille leo, hic lupus, ille camelus,
Ceruus hic, ille elephas, porcus hic, ille caper.

Atque hic apparet, ceu bos, ceu bubalus ille,
Vrſus hic, ille biſon, hic equus, ille aſinus.
Cætera ſtultitiæ, riſum vel, Pine, ſeuero
Commotura ſeni, monſtra quis enumeret?
Si cui forſan amor tamen eſt cognoſcere cuncta,
Spectaclo ex vno diſcere, Pine, poteſt.
Vectus equo, capite inuerſo, Petrus aëra pulſat
Calcibus; inuerſum hoc tempore cuique caput.

AD PETRVM.

cuius mentio in concluſione Epigrammatis antecedentis.

QVid fictis pedibus, manibuſque quid vtere fictis?
Vt capite inuerſo conſpiciare, Petre?
Turpiter inſanis dum Bacchi tempore, clarè,
Petre, tibi inuerſum cernitur eſſe caput.

Digitized by Google

De magna Pauperum caterua nocte vltima Bacchanaliorum,

ſtipem voce maxima flagitantium, ſimulata cæcitate.

AD D. PAVLVM ANTONIVM BONIFACIVM,

olim Auctoris Diſcipulum.

SVb noctem mediam, quæ nox erat vltima Baccho,
Paule, mihi riſus bellula cauſa fuit.
Turba frequens inopum clamabat callida: cæcos,
O pia gens, aliqua nos hilarate ſtipe.
Ridebam mecum, mecumque hæc dicta iterabam:
Vnde hæc cæcorum tanta caterua fluit?
Luce carent omnes nocte hac; analecta ciborum
Vt voret, ô quàm nunc ingenioſa gula eſt;
At bellè poterat cæcam ſe dicere turba;
Nam quis non, noctis tempore, lucis inops?

AD PAPYRIVM NIGRIDIVM,

ob cæcitatem, lugubribus ſe ſemper veſtibus induentem.

FAre, age: lugubri tegeris cur veſte, Papyri,
Poſtquam nox oculos preſſit acerba tuos?
An tibi, vel genitor, genitrixùe, vxorùe, ſororùe,
Frater an, aut alius ſanguine iunctus obijt?

Haud equidem: nigrantem igitur iam deſere amictum,
Eſt nota nam certi funeris iſte color.
Ah, quid ais? clamas: ex quo nil, lumine caſſus
Cerno, mihi totus, Carole, mundus obijt.

De tribus fratribus, de hora mortis ſororis altercantibus.

HOra inquit, fuerat, vigeſima prima, Tibullus,
Vltima cum ſubijt Lucia fata ſoror;
Hora ſecunda, Leo, fuerat vigeſima, clamat;
Quin vigeſima, ait, tertia, Varro, fuit.
Hic ego ſubridens (riſu nam clamor inanis
Dignus erat) dixi? quid ſtrepuiſſe iuuat?
Iam ſatis hora patet: fuit hæc vigeſima quarta,
Occumbens, noctem ſenſit adeſſe ſoror.
Quis dubitet? lucis, fuit hæc, hora vltima: clauſit
Vltima cum ſubijt Lucia fata, diem.

AD SABELLVM DOLORIGHIVM, aſsidui mœroris ſui cauſam exquirentem.

Ex hoc, quod Macrob. *tradit lib.* 2.

Auguſtus *Cæſar delectatus* Virgilio, *&* Horatio, *quorum ille crebra ducebat ſuſpiria, hic lippitudine oculorum laborabat, rogatus aliquando, cum inter vtrumque ſederet, quid ageret? ſedeo, inquit, inter ſuſpiria, & lacrymas.*

QVæ ſit perpetui, Sabelle, quæris,
Mœroris tibi cauſa: plurimarum
Moles prægrauis occupationum,
Quæ te perpetuò premens fatigat:
At curis grauioribus repulſis,
Mecum cultus Horatius frequenter,
Verſaturque Maro ſonorus, inquis.
Nulli ſunt tamen alleuationi
Mœrenti mihi: non recedit vnquam
Mœror priſtinus, angor, ægritudo.
Mirum non igitur, Sabelle, mirum
Non eſt; ſunt ſocij tibi dolentes.
Hinc nam lippus Horatius profundit
Vrentes lacrymas, Maroque multo
Laſſatus ſtudio, trahit profundo
Hinc ſuſpiria ſemper ægra corde.
Ipſe inter lacrymas, Sabelle, & inter
Vis ſuſpiria, triſtibus leuari?

DE ANTONIO DE ALPHONSIS,

Qui inter putandum domeſticam vitem pergulanam,

è ſcalis in puteum decidit, perijtque.

Ad R. Patrem LAVRENTIVM à S. XYSTO, Capharonienſem, Religionis Patrum Scholarum Piarum.

INſidis nixus ſcalis Antonius, annis
Prægrauis, intentus, Laurens, de more, putanda
In vite, infelix obijt; tunc namque repentè
Deſeruere ſenem ſcalæ, puteuſque ruentem
Excepit: non ille vnus fuit ergo putator:
Falce ſenex vitem, vitam Mors falce recidit.

DE PETRO CALCEONO,

mortuo, cum tonderetur.

Ad Tonſorem.

MIraris, tonſor, celeri quem forfice tondes,
Calceonus ſubito quòd cadit interitu?
Neſcis, quàm fragilis vita eſt? filo illa, piloue
Pertenui pendet iuncta; quid ergo ſtupes?
Protinus innumeros qui deles, protinus vnum
Miraris Mortem nunc ſecuiſſe pilum?

DE

DE LINO,

Qui cum lucernam de more vellet accendere, *à piſtore, cuius Sponſam optabat, interfectus eſt.*

AD MARONEM CASTANACEVM.

PIſtoris Sponſam cupiens, accedit ad ædes
Sæpè, Maro, & ficta ſub ratione Linus.
Dumque ſub aduentum noctis, de more, lucernam
Accenſurus Amans limina amata ſubit,
Suſpicione furit piſtor, ſubitòque, lucernam,
Nunc, ait, accende: & pectus inerme ferit.
Vix Linus oblonga ſumit de cuſpide vulnus,
Triſtis ad infernam cum parat ire domum.
Quid, Line, quid mœres? mœrori parce: lucerna
Poſsit vt accendi, quò ieris, ignis erit.

De QVINTILIO medico,

mortuo ſub finem menſis Quintilis.

AD vitæ metam, Quintilis nomine, menſe,
Peruenit medicus nomine Quintilius.
Cuique ſuum quamquam tempus, periiſſe ſuoque
Quo quis menſe obijt, dicere quiſque ſolet,
Si tamen hic alio periſſet tempore, dici
Tam bene non poſſet menſe obijſſe ſuo.

AD

AD FAVSTVM INDICVM,

De quodam hominum genere impunè necantium.

Fauſte, necatores quoſdam ſine vindice pœna,
Per Myſos Proculus conſpicit ire locos.
Hi mactant, inquit, pueros, iuueneſque, ſeneſque,
Ætati nulli parcere namque ſolent.
Nec modò non delicta luunt tam barbara, ſemper
Hiſce crumena redit quin grauis ære, domum.
Atque adeò defertur honos, laudantur & arte:
Qui, rogo, ſint? Medici ſunt, ait ille, rudes.

AD PONTICVM

Philoſophum, ac Medicum,

promiſſam barbam ſibi, inter loquendum grauiter attrectantem.

Vane, ſubinde, loquens quid barbam, Pontice, tangis?
Conſilium barbæ, Pontice, fortè cupis?
Parce ſuperuacuo mori, morique ſuperbo:
Mens tibi conſilium, non dare barba poteſt.

Ænigma.

Dans tibi plura, nihil tibi do tamen: ecquis ego ſum?

Medicus, ſolitus vti hoc principio: *recipe*. in præſcribenda valetudinis curatione.

Reme-

Remedium CINNÆ Mercatori, à Medicis medelam ſæpiſsimè petenti contrà cœlum Romanum, Neapolitanumque;

hoc capiti noxium, illud cruribus,

ME modò cum Romæ diuerſa negotia cogant,
Et modò me cogant ſiſtere Parthenope,
Aere Parthenope capiti ſit noxia, Roma
Cruribus: huic, medici, quæ medicina malo eſt?
Vocibus his Medicos nulla non luce fatigas;
Nec, niſi defeſsis auribus, ire ſinis.
Præſcribantque licèt medicamina plurima, Cinna,
Proſunt omninò nil tamen illa tibi.
Ergo, ne Medicos pergas grauis angere, crura
Neu tibi Roma grauet, Parthenopeque caput,
Nunc ego te miram medicinam, Cinna, docebo:
Pone caput Romæ, cruraque Parthenope.

Ad mœſtos quoſdam librarios

triremis pœna multatos, quòd vetita ſcriberent.

IMproba vos meritò tradit ſcriptura triremi:
Nunc meritò pœnas improba dextra luit.
Ferte tamen læti: vobis, calamuſque, liquorque:
Fit calamus, remus; fit liquor, humor aquæ.
Charta, mare eſt amplum: metus abſit: ſcribite tuti;
Exagitata legi non ſinet vnda notas:

DE TIBVLLO GRATIO

Quidpiam ab Auctore petente pro iucundis narrationibus.

ex illo: Dare aures) quod eſt duplicis ſignificationis.

FActa ego iucunda auditu, nullique relata,
Quid mihi, ſi referam, Carole amice, dabis?
Hæc mihi ſepè ſolet præponere verba Tibullus,
Si quid feſtiuum, quod mihi narret, habet.
Huic igitur quondam dixi, de more petenti:
Aures, ſi referes læta, Tibulle, dabo.

DE PETRO INDO,

Qui poſt longam diſputationem, defenſionemque Axiomatis: Non dari vacuum, *domum reuerſus, eam rebus omnibus ſpoliatam reperit.*

DVm Petrus Indus obit certamina longa Mineruæ,
Dumque dari vacuum voce ſtrepente negat,
Nox nigrat terras, cauto pergrata latroni,
Doctoris vafra qui ſubit arte domum,
Atque illam argento totam denudat, & auro,
Effractiſque arcis condita cuncta rapit.
Defeſſus tandem Petrus clamore, reuertit,
Et miſer in tota nil videt eſſe domo.
Ipſe dari vacuum, poſt hác non, Petre, negabis:
Ecce dari vacuum, te latro rite docet.

Præ-

Præceptor in Vrbe Ancona, nimis rigidus, induſtria HIERONYMI MAZÆI patrui Auctoris, bellè illuſus.

Ad ſeueros Magiſtros.

ANconæ ſic olim affata Iuuenta Magiſtrum,
Sat rigidum, tetricum, difficilemque virum.
A ſtudijs liceat cras, ò Præceptor, abeſſe;
Sic ſemper iuſsit craſtina feſta dies.
Credendum ſi fortè putas non eſſe iuuentæ,
Conſule maiores, conſule quosùe lubet.
Ille autem oſtentans rugas, vultumque Catonis,
Erecto damnat vota ſupercilio.
Mazæus petit ergo vafer bene mane lyceum,
Et condiſcipulis ſic properanter ait:
Protinus hinc duri cathedram remouete Magiſtri,
Atque in conſpectu ponita ſcamna fori.
Ille ibi, quanta vult, voce horridus, aera pulſet,
Solis ab exortu, Solis ad interitum.
Dumque Scholam repetit ſolito de more Magiſter,
Diſcipulos nullos, nullaque ſcamna videt.
Duritiem, Præceptores, deponite, ne ſe
Dent cum diſcipulis ſcamna vel ipſa fugæ.

MV-

MVSICA.

Anagramma purum.

AMICVS.

In Anagramma.

MVſica blanda parens: quis natus? AMICVS: amicus
Verè quiſquis erit, Muſicæ amator erit.

In idem Anagramma.

MVſica quid mirum, ſi noſcitur inſtar amici?
Inſtar amici, animos exhilarare ſolet.

Cantori abſono, ſed vocem ſuam plurimi facienti, fœminæ plorantis reſponſio.

RIdiculè incompto ſtrepitat dum cantor hiatu,
Fœmina largifluis fletibus ora rigat.
Cui lacrymas mouiſſe ratus cantu ille ſonoro,
Dic, inquit, fletus forte ego cauſa tui?
Fletus, illa, mei, reſpondet, cauſa fuiſti;
Voce tua, lacrymis immaduere genæ.
Nunc ſiquidem, heſterna clamantis luce, voracis
Dente lupi, eſt aſini, vox tua viſa, mei.

Res caducæ.

LA, *ſol*, *fa*, *mi*, *re*, *do* (canit vnus funera, cycnus?)
Deſcenſu referunt cuncta caduca, ſuo.

LAV-

LAVDATOR NIMIVS.

Anagramma. m, *in* i.

VIR ADVLATIONIS.

In Anagramma.

AD AMICVM AVRITVM.

E St vir adulator, nimius laudator, Amice:
Hunc fuge: mellifluus ſit licèt ore, nocet.
Dulcis adulator, ſed peſtifer ore; caueto:
Ore vomit virus, quo tibi melle fluit.

Reſponſum ridiculum SYLVIO Anconitano,

Sciſcitanti, vndè originem duceret dictum illud vulgare,

Non è di Maggio, che ſi dice due volte

Anconæ potiſſimùm vſurpatum, cum ijs videlicet, qui, cum verba non bene perceperint, dicti poſtulant repetitionem.

V Enerit, vnde, rogas, Sylui, modus ille loquendi
Quo bis idem loquimur, non modo Maius adeſt
Sermo mihi notus, ſed non ſermonis origo:
Sermonis noti quæ ſit origo, latet.
Forte hæc? quod turbant, interpellantq; loquentes
Nos, Aſini, Maio dum mage menſe rudunt?

Aſi-

Ænigma.

1. NOn animal, non me fruticem natura creauit;
At medium quiddam ſum inter vtrumque genus.
Dextræ auulſoris rigidæ contracta reſiſto;
Denique ſanguineas vulſa relinquo notas.
Vt plures oculi mihi ſint, ſint oraque plura,
Nil tamen aſpicio, nil tamen ipſa loquor.
Manducoq; nihil; tantùm bibo: dextera ſed me
Sæua premens, potas fundere cogit aquas.
Maxima proh feritas! Thracum ſic Rector opimos
Strangulat, inde fluant vt ſibi diuitiæ.

1. Spongiam *hoc* Ænigma *ſignificat, de qua, quæ hoc primo carmine dicuntur, tribuſq; ſubſequentibus, non ita nota ſunt, licèt ea, vel in* Ambroſij Calepini *volumine cuique obuio, referantur.* Spongia *autem ſignificata, reliquorum carminum ſenſus facilè percipitur.*

Ænigma.

ME miſerum ſemper: baculis, dum vita, dolebam
Percuſſus; baculis mortuus vſque ſtrepo.

Quis hic? Aſinus, *ex cuius corio ſtrepitantia tympana fiunt.*

Æni-

Ænigma.

ILle ego, quo viuo nil vidit inertius Orbis,
Mortuus, increpitans, ſuſcito ad arma viros.

Idem animal ſignificari, ſatis patet ex nota ſuperiore.

1. AVdite, ò cuncti, cunctiq; ſtupeſcite: ſummo
Inſonat Italia nomen honore meum.
2. Nonniſi præmiſſa, venerantis more, loquela,
Qui benè moratus, me memorare ſolet.
Interdùmq; audet totum non promere nomen,
3. Sed reliquum capitis nutibus ille notat.

Idem prorsùs animal hoc etiam Ænigmate *ſignificatur.*

1. Audite) *quid verò? meras omninò nugas, merum ingenij iocum.*

2. Nonniſi) *Nos enim Itali, animal hoc nominaturi, quodam capitis inflexu, dicere ſolemus:* con riuerenza.

3. Sed reliquum) *Pronunciata enim tantùm prima ſyllaba vocis italicæ,* Aſino, *reliquum, quod conſtat ex his duabus ſyllabis,* ſi, no, *capitis nutibus enunciari poteſt;* ſi, *nempè, eo capitis motu, quo aliquid affirmamus, cùm apud nos Italos aduerbium ſit affirmandi;* no, *autem, eo capitis motu, quo aliquid negamus, cùm italica vox negandi ſit.*

Ænigma.

1. CArcere me natam, eruerat qui carcere, clauſit
2. Ille idem (ô feritas) aſperiore loco.
3. Protinus atque fera illùc irrumpente, tenella,
Et placida, iratis dentibus eſca fui.
At fera crudelis, feritatis crimine plexa eſt,
Et, quo me occidit carcere, clauſa ſtatim.
4. Atque breui ſpatio, cunctis inſtantibus, inde
5. Eruta, diſcerpta eſt barbariore fera.
Cæde quidem fera digna fuit, ſed carcere qui me
Clauſit, diſcerpi dignior ille fuit.
Eheu, quis toto, quis me infelicior Orbe?
Carcere nata fui, carcere cæſa fui.

Signatur hoc Ænigmate, nux, *materia illa tenera videlicet, quæ* nunc *includitur, dicta,* nucleus.

1. Carcere) *putamine, quo includitur.*
2. aſperiore loco) *muſcipula.*
3. Protinus atque fera) *mure.*
4. cunctis inſtantibus) *pueris, adoleſcentibus, &c.*
5. barbariore fera) *videlicet, fele.*

Nux.

SI mea ſopito nocet vmbra, quis afferat vmbram
Eſſe nihil? quod obeſt, non nihil eſſe poteſt.

Mus

Mus occiſor felis.

DVm rabido mus dente ferox vorat abdita, felis
Irruit, vt murem comprimat, atque voret.
At mus (mirandum) aggreditur nil territus, hoſtem,
Et felis ſtrato corpore, victor abit.
Caſibus in ſubitis ò quàm contraria cerno!
Succumbit fortis, debilis vltor ouat.

De Pſittacce, aui Indica,

in papyro pulcherrimè expreſſa

ab ingenioſiſſimo P. ANTONIO à S. MICHAELE, Anconitano, ex Patribus Scholarum Piarum.

QVàm bene, quàm ſimili eſt animata colore, papyro,
Humanos volucris promere docta ſonos.
Hæc quoque, credo, daret iucunda vocabula; ſed ne
Claudatur miſero carcere, vafra ſilet.

De pugna Equitum cum Dracone,

Ab eodem miris calami ductibus repræſentata.

PEr tot cur Equitum Draco non citò ſternitur arma?
Tam pulchra effugiat ne citò pugna oculos.

De Planta ſine fructibus, ramos tantùm frondoſos habente,

Calami eiuſdem P. ANTONII egregijs ductibus exhibita.

MVltiplici calami ductu quas ſurgere frondes
Aſpicis, & miras arte virere putas,
Antonj ingenio fructus, mirabilis, orti:
Sic frondes, fructus dicere rite potes.

De eadem Planta cum ſolis frondibus.

ANtonj fructus, frondes, quas aſpicis: ergo
Planta caret fructu, nec tamen ipſa caret.

DE HILMO ARACE PROCVLMVNDIO in putatione plantarum aſſiduo.

CVi noua cuncta placent, mirãdaq; cernere gratum eſt,
Ille putet plantas, vt putat Hilmus Arax.
Decutit aſſiduus frondes, ramoſq; coercet,
Et virgas rigida creſcere falce vetat.
Nam plures, inquit, verno mihi tempore flores,
Et fructus plures planta putata dabit.
At nihil illa parit; pariendi ablata poteſtas
Cultoris nimia ſedulitate fuit.
Quis tamen hunc ſpernat? ſic plantas prodigioſas
Efficit; in medio vere virore carent.

AD

AD D. FLORAVANTEM MARTINELLVM,

de ipſius rure Romæ, ad Montem Marij ſito, *vbi domus, egregia* Equitis Borromini *architectura, ædificata.*

MArtinelle, tui laus eſt quæ maxima ruris?
Quòd Borromini nobile ſeruat Opus?
Flaminiam ſpectare viam quòd gaudet, & amplos
Campos, Soracten, quòdque Sabina iuga?
Quod miratur Tybur, Telegonique receſsus?
Iucundoùe magis quod Ioue perfruitur?
Seu, quòd Tyrrheni vaſtum maris aſpicit æquor?
Seu, quod laudatis iugè rigatur aquis?
Quòd pinus? quod habet lauros? quod floribus halat?
Quòd pomis turget, luxuriatque mero?
Martinelle, tui non hæc laus maxima ruris:
Hæc ruris laus eſt maxima, te quòd habet.

Aptè Arbor fœminei generis.

ARbor fœminei generis: bene: parturit arbor.

Perſica.

PErſica terra, ferox, dat perſica ſæua veneno;
Mitia ſed clemens Itala terra parit.

Pyra.

QVi cupis eſſe tuo ſtomacho pyra grata, ſequantur
Optima Campano pocula plena mero.

De Effigie ad viuum expreſsa, cum ore patefacto, & ſine lingua.

Diſticha VI.

I.

Viua eſt Effigies: patefacto expreſſa fuiſset
Si quoque lingua ori, iam foret illa loquax.

I I.

Viua eſt Effigies: loquitur nihil illa, ſed inquis:
Id quoque tu faceres, ni tibi lingua foret.

I I I.

Viua eſt Effigies, (nec enim dat viuere lingua:)
In cauſa eſt pictor, ſi nequit illa loqui.

I V.

Viua eſt Effigies: loquitur mihi, vel ſine lingua;
Nam facit hoc oculis, quod minùs ore poteſt.

V.

Viua eſt Effigies: ſed hians nihil explicat ore?
Cur? deeſt lingua; ſat eſt, hanc voluiſſe loqui.

Viua

Digitized by Google

VI.

VIua eſt Effigies : ab aperto emitteret ore
Verba quoque ; at linguam non habet : adde ; dabit.

AD LÆLIVM SICCOSSIVM pictorem Mortem exprimere contendentem.

SI nihil eſt aliud Mors, quàm defectio vitæ,
Pictura, Læli, cur animare ſtudes?
Nulla huic vita datur, nullus color : arte quid vrges?
Ad viuum Mortem pingere vis? morere.

DE EODEM.

repente interfecto, cum videlicet conaretur, vt ſolebat,

Mortem ad viuum coloribus exhibere.

SOlicita Mortem pingit dum Lælius arte,
Nec tamen optatis ſedula dextra fauet,
Improuiſi hoſtis transfixus cuſpide, ſpirat :
Non poterat Mortem rectiùs exprimere.

Præteritum Mortuus

Quare ex omnibus præteritis, ipſum vnum, exeat in, tuus.

PRæteritum nullum, niſi *mortuus*, in *tuus* exit:
Hoc ſibi ſubiectum regula nulla tenet.
Scilicet à Morte inſolitum deſumpſit honorem,
Quam potuit nemo ſubdere, nemo poteſt.

De quodam Pictore,

Qui quinque corporis sēſus per ſenes expreſsit.

AD VBALDVM CORDATIVM.

COrporis inſcitè ſenſus, licèt inclytus arte,
Per quinque exhibuit pictor, Vbalde, ſenes.
Eſt illis acies hebes, audituſque, ſaporque
Tenuis, odoratus, tactus & exiguus.
In ſenibus languent ſenſus: hos viuida, Vbalde,
Aptiùs ò quantò picta iuuenta daret.
Miror, Apellæa clarum ſatis arte, fuiſse
Tam procul à ſenſu ſenſibus in medijs.

AD HIERONYMVM CORTESIVM,

Deformium hominum vultus, pulchros depingentem.

PIctor adulator, qui te docuere, colore
  Mendaci formas reddere diſsimiles?
Vt pulchrè pulchram pingis, Hieronyme, formam;
  Sic tetrè rigeat tetra colore ſuo.
Forma Petri num pulchra? nihil deformius illa:
  Blanditur tamen huic officioſa manus.
Scilicet hanc pulchrè pingis; ſed non bene: formam
  Si Petri bene vis pingere, pinge malè.

De prælongo SAGESTIS naſo, rotundoque.

AD LÆLIVM PARTHENOPÆVM.

SAgeſti quàm ſit longus, naſuſque rotundus,
  Noſcere ſi, Læli Parthenopæe, cupis,
Accipe: dum ſomni nexu ſua membra tenaci,
  Vlna vlnam ducens, nititur eruere,
Arripit interdum (poſsit quis credere?) naſum,
  Atque, vlnam reputans, hunc ſibi ſæpe trahit.

Qua

Quare Itali homini dicant irato:

Ti fuma il naſo.

DIcendi genus hoc, quo manat fonte? furenti
Ira Italus, *fumat* cur, *tibi naſus*, ait?
Naſus an eſt homini, ſitus alta parte, caminus?
Emittit fumum forſan & ira ſuum?

Caluus ad capillatum illuſorem.

ME caluum quare illudis, crinite? capillos
Vt nequeo ipſe, tuos haud numerare potes.

De Pygmæo, IOSEPH nominato,

Qui in Tyberim penè dilapſus.

IOſeph pygmæus malè cautis lapſus ab vlnis,
Tybridis in flauas penè ruiſset aquas,
Ni pia præcipitem tellus miſerata, repentè
Curaſſet proprio continuiſſe ſinu.
Ecquænam tantæ pietatis cauſa? puſillus
Corpore, telluri viſus hic eſſe puer.

De

De Pygmæis duobus!

Quorum alter latrocinijs famoſus fuit, alter hiſtrioniam exercuit, vterque MOLON appellatus.

PYgmæi vixere duo, de nomine, Molon
Dicti ambo: alter fur, hiſtrio & alter erat.
Hiſtrio & alter erat? ſic, fur quoque, callidiorque;
Ille metu nummos abſtulit, iſte iocis.

De eodem MOLONE latrone.

Alluditur ad CVPIDINEM, qui puer pingitur.

MOlonem pumilum quid nunc mirare latronem?
Prauus amor latro eſt, ſit licèt ille puer.

Cur gibbi plerumque percallidi.

Ad IVSTVM BIDON, Gallum,

Auctoris olim Auditorem.

SCis, gibbi, nimiùm vaſri cur, Iuſte? cerebro,
Non caput his ſolùm, ſed quoque terga tument.

Cur parui corpore,

iracundia celeriùs efferueſcant.

AD EVMDEM.

FEruet in exiguo cur corpore promptiùs ira?
Ebullit citiùs, Iuſte, quod olla minor.

AD CÆCILIANVM FVSTIVM,

inſulsè quærentem, an bene frigus, calidum
dicere poſſit aliquando.

TV calidum poſſis bene dicere frigus an vnquam,
Nobilis ingenio, Cæciliane, rogas.
Quid ni? tunc poteris calidum bene dicere frigus,
Dicetur quando frigidus eſſe calor.

Ad furem,

Qui lepidè dicitur: Homo trium litterarum.

CVi nunc furta notas dant tres (*fur* namque vocaris)
Ne tibi quamprimùm dent tria ligna, caue.

Digitized by Google

LVDVS. Anagramma. DOLVS. v, *in* o.

In Anagramma.

ARte, nota verſa, tibi, ludo oſtenditur aptè,
Eſſe dolum: ludo interuenit arte DOLVS.

LVDVS

Ab Auctore adoleſcentiæ tempore excogitatus,

quo cognoſcitur ab eo, marinè, an terra ſit id, quod quiſpiam tibi dixerit ſummiſſa voce, abs te nullo vocis dolo, nulloque motu corporis adhibito, etiam ſinè vlla tua, ſociíq; interrogatione.

Eumdem igitur, ô Iuuenis, ludum luſurus, ſecretum ſubſequentibus carminibus contentum, cum ſocio communicabis, vt Auctor tecum facit, & ſic, marinè, an terra ſit id, quod ſocio tuo quiuis in aurem ſummiſsè dixerit, ſtatim cognoſces, aperieſque.

SItnè mari, an terra, vt referam, quod tradidit auri
Vox ſummiſſa tuæ, quæ peragenda, tene.
Non ego, vt immutes vocem, naſouè ſuſurres,
Vel frontem exhilares, mœſta vel ora geras.
Non ego, vt inflectas caput, aut vt lumina tollas,
Vel digito trepides, admoueaſuè manum,
Vel pede tantillum pulſes, ſeu brachia ducas,
Nec ſimile his moneo quid puerile notes.

Mu-

Mucida ſunt hæc, inculti barbamq; Charontis
Squalentem redolent, putridaq; ora ſenis.
Eſt nihil ex iſtis: ſi, quæ dicam, egeris aptè,
Si ſtatua vt ſteteris, nouero quicquid erit.
In terra ſi ſit, iuuenis quod tradit, ab aure
Ipſe tua iuuenem protinus amoueas.
Ad mare ſi ſpectet, iuueni mora paruula fiat;
Hinc mihi ſecretæ notio clara rei.
At mora ne fallat, prohibe ne accedat ad aurem,
Ni, quæ dicturus, præmeditata tenet.
Sintnè mari, an terra, quæ dixerit ille, require
A me, vel iuſſu ſic petat ille tuo.
Sic petat aut neuter: taceat licèt vnus, & alter,
Sintnè mari, an terra, quæ tibi dicta, feram.
Omnia dexter agas: iuuenum vigilantia magna eſt:
Hoc ludo in primis dextra opus arte tibi.

Ænigma.

1. DVx ego, equiſq; vtor; ſed, quem deduco, pedeſter
2. Tendit iter; tamen hic, non ego, complet iter.

1. Dux ego) *Videlicet*, Teleſcopium, *italicè*, Occhialone, *ſiuè*, Cannocchiale. Equiſq;) *fulcris, quibus innititur*, equis *hic lepidè dictis*; *quia fulcra hæc, italica lingua vocantur*, caualetti.
2. Tendit iter) *Præter notam ſignificationem, ipſam, ſi argutè animaduertis*, teleſcopij *extenſionem perbellè notat*. tamen hic) *Homo enim peruenit intuitu, quò vult, non* Teleſcopium.

Æni-

Ænigma de Eodem.

ALigeris citiùs, ventis, citiùſque ſagittis,
Ad longinqua venit, me duce, quiſque loca.

Ænigma.

1. **A** Me (quis credat?) quamuis procul omnia nudo,
2. Pupillis tamen auxilium præbetur egenis.

Hoc Ænigmate *ſignificatur* Conſpicilium iuuenile, *italicè*, Occhiale di prima viſta (*atque idem* teleſcopium, *cui ex æquiuocatione comparata eſt argutia; non enim* à me procul omnia nudo, *inopiam maximam notat, vt notare videtur, ſed hoc, quòd ab eo nudo, ideſt, è tegmine, ſeu theca (quæ in ſubſequenti* Ænigmate, veſtis *dicta) extracto, & appoſito ad naſum, abſunt cuncta; quæ enim per ipſum cernuntur, remota ſunt.*

2. Pupillis) *Vox æquiuoca hic oculos notat artis egenos, vt queant videre.*

Ænigma de Eodem.

DVm bene veſte tegor, pupillis nil ego proſum:
Gratam pupillis affero nudus opem.

De eodem Conſpicilio Iuuenili, *ſunt* Ænigmata *duo proſa oratione compoſita, in* Ænigmaton *Libello eiuſdem Authoris.*

Ænigma.

IPſe male affectus, ſtrato exeo, & ambulo, & erro:
Dum me nil turbat, ſtrato ego tunc iaceo.

Quis hic? Fluuius *exundans, poſteà quieſcens*. ſtrato exeo, *Congruit cum italica locutione*: vſcire di letto; *quod, & de iam ægrotante dicitur, & de* fluuio,

De Naui à ſubmerſione præſeruata,

ſacchare, quo potiſsimùm grauabatur, in mare deiecto.

BIle tumente mari, bacchantibus vndique ventis,
Pene fuit rabidis obruta puppis aquis.
Magnus at ingenium nautis dedit horror; in vndas
Sacchare deiecto reddita ſalua ratis.
Reddita ſalua ratis: dulcedine ſaccharis hauſta,
Incepit placidum protinus eſſe mare.

Æni-

Digitized by Google

Ænigma.

DIſcite, crudeles, miteſcere: lædere, læſus,
Parco; quin recreo, ſi ferus antè fui.

Quis hic tam mitis? Aer, æſtiuo tempore, flabello percuſsus; placidam enim auram percuſſori ſuo, quem calore anteà vexauerat, benignus affert.

Ænigma.

ILle, quis, ò Iuuenes, ego cui ſum mitis acerbo,
Et cui iam miti cernor acerbus ego?

Ille, quis) fructus *eſt, acerbo enim parco, intactum relinquens; maturum verò carpo, & manduco.*

De perpetua inter Aquam, & Ignem inimicitia, Aquæq; inimicitia cum Oleo.

SÆuæ inimicitiæ lympham ſunt inter, & ignem:
Semper pugnantes horrida bella mouent.
Ignem lympha domat, pariterq; domatur ab igne
Lympha; ſimul nunquam, quin feritate ſtrepant.
Hinc oleo miſcet nunquam ſe lympha; quod hoſti
Igni oleum faueat, ſuppetiaſq; ferat.

 Æni-

Ænigma.

QVid benefacta iuuant? præbens ego viuere cunctis,
Hoc mage turpe vocor, quò mage purgor aquis.

Notatur hoc Ænigmate, Tempus pluuium; *quantò enim magis pluit, dicimus*: O, che tempo brutto: ò che tempaccio. *Illud autem*: purgor aquis, *dictum cum reſpectu ad illas italicas locutiones*: Si purga il tempo: ſi ſchiariſce il tempo: ſi fà bel tempo.

Quid verè tempus terat,

Dicimus enim: Tempus terere.

AD D. IOSEPHVM CERVINVM.

DIc, Ioſeph: verè terit vrna horaria, tempus:
Ecce oculis tritum ſubijcit illa tuis.

Ænigma.

QVando ego te video, valdè es iucundus, amice:
Quando ego non video te, mage, amice, places.

Quis hic Amicus? potus, *ſeu*, cibus; *qui quidem gratus dum aſpicitur, gratior verò, cum eius voluptas percipitur, palato incluſi.*

Inter

Inter videntem, & cæcum differentia nulla.

AD CAMILLVM RAGVSIVM.

SVnt terrena nihil; quid diſcrepat ergo, Camille,
Qui videt à cæco? cernit vterque nihil.

De ficus infelicitate.

Tetraſtichon.

FIcus, vbi lacrymas fundis, pendeſq; patenti
Ore, ſtatim læua carperis ipſa manu.
Infelix ficus: lacrymis, oriturq; patenti
Ore ſalus alijs, damna ſuprema tibi.

Diſtichon.

VItam alijs lacrymæ pariunt, tibi, ficus, at vni,
(Infelix nimium) cauſa repente necis.

Quidam malè PASQVINVS appellatus, olim miles ALEXANDRI Magni, (Statua Romæ)

ſic loquitur, queriturque.

CVr ego Paſquini ſartoris nomine dicor?
Non mea tractauit ſcruta, ſed arma, manus.
Non ego compulſus, quemquam, liuore, momordi,
Paſquini vt ſocijs ars ſcelerata fuit.

Nam prope me fuerat iam priſca ætate taberna,
In qua, Paſquinus nomine, ſartor erat.
Sæpè hic turba procax, mordaxq; aſſueta morari,
Et rabido immeritos rodere dente viros.
Et cum diuideret Paſquinus forfice pannos,
Solertique, gulæ fercla pararet acu,
Hæc famam lacerare, & acuta pungere lingua,
Et funem collo quærere ſtulta ſuo.
Hinc, ſi quid mord x ſpargebat fama per Vrbem,
Paſquinum auctorem dicere, moris erat.
Hic ego pòſt poſitus, Paſquinus dictus, idemq;
Illi quod quondam, mox mihi fama dedit
Naſutiq; mihi os denaſauere, mihiq;
Fregerunt aures, brachia, crura, caput.
Proh ſcelera: in toto, qui iam clariſſimus Orbe,
Magni & Alexandri belligerator eram,
Indignè toto confractus corpore, cunctis
Sum modò, Paſquini nomine, ludibrio.
Mars Deus, hæc cernis, tanta hæc nec crimina punis?
Hæccine cultori præmia digna tuo?
Certè ego, marmoreus quamuis, vlciſcerer hoſtes
Nunc quoque, Mars; ſed nunc brachia non habeo.

Baiu-

Baiulus marmoreus cum cado, ridens.

Fons Romæ in Via lata.

Ad Viatorem bibentem.

HIc qui fundis aquam, cur, inquis, Baiule, rides?
Rideo, quòd potas, feſſe Viator, aquam.
Quæ mihi ſola placent, me feruida vina putabam
Ferre domum: illuſus munere, vas vacuo.
Sed, quam proijcio, tu protinus ebibis vndam:
Rideo tam vilem, ridiculamq; gulam.

Idem Baiulus

Ad eumdem Viatorem.

DVm ſitis vrit atrox, tibi quæ dementia? quare,
Cum ſit opus vinum ſumere, ſumis aquam?
An ſitis ardores, reputas ardoribus ignis
Conſimiles? ſedat non bene lympha ſitim.
Æſtus ignis, aquam ſume, extincturus; at æſtus
Si bene vis ſitis extinguere, ſume merum.

Idem Baiulus

Ad eumdem Viatorem.

QVid rides? inquis: quòd potas languidus vndam;
Nonne potes meliùs membra animare mero?

Idem ad eumdem.

QVid rides? inquis; quòd, laſſe Viator, es amens,
Cum facias vino tu modò pluris aquam.

Epitaphium SAXONIS Poetæ, vinoſi.

HIc ego qui jaceo, rubicundi cultor Iacchi,
Immodico perij Saxo poeta mero.
Hàc qui carpis iter, lacrymas ne funde, Viator,
Sed Bacchi, cineres ſparge liquore meos.
Semper vt in vita mihi dulcia vina fuere,
Sic functo vitæ munere, vina placent.
Odi ego ſemper aquas; mihi ſemper dulcia vina;
Nolo tuas lacrymas; dulcia vina volo.

Vua.

FIlia quæ vitis, tu, vitæ mater es vua,
Namque liquore tuo viuida membra facis.

Ænigma.

1. NVlla mihi facies, facies tamen ampla; nec vllum
2. Os, ex me riſus ſed tamen exoritur.
Non habeo linguam, tamen increpo, & arguo, & horror
3. Non habeo ſtomachum; digero plura tamen.
4. Si quæris corpus, nullum mihi corpus; amictus
Attamen eſt: apta gaudeo veſte tegi.
Vt palmis caream, non deſino tangere palmas:
5. Vt caream pedibus, per loca multa meo.
Cuncta hæc mira quidem: mirum quoque cernitur iſtud:
6. Vt pede vtroque vacem, non ego calce vaco.

1. Nulla mihi facies) *Notatur hoc* Ænigmate Epiſtola *ad abſentem*. Nulla facies, *propriè ſcilicet*: facies tamen ampla, *impropriè*, *cum reſpectu ad vocem italicam*: facciata. 2 ex me riſus) *ob iucundam materiam, quæ in ea continetur*. 3. digero) *ideſt*, narro, diſpono, ordino: *vt apud Cic. in Verr.* Habeo iſtius tabulas omnes, quas diligentiſſimè legi, atque digeſſi. *Et apud Virg. lib.* 2. *Æn.* ita digerit omina Calchas.
4. amictus) *pagella illa notatur, in qua epiſtola includitur, & fit ſuperſcriptio.* 5. per loca multa meo) *tranſeo videlicèt per tabellarium.*
6. non ego calce vaco) Calx *enim pars pedis poſtrema, metaphoricè pro fine ponitur: ideòq; dicitur etiam* in calce *epiſtolæ*.

Ænigma.

1. HEi mihi: labe procul, deturpor, torqueor inſons,
2. Atque notor tergo ſtigmate, & exul eo.
3. Denique cognoſcor, dilaudor, & oſcula capto;
4. Non tamen infelix liberor exilio.

1. *Significatur hoc* Ænigmate, pagina, *in qua* epiſtola *elegãtisſima, ad abſentem miſſa per tabellarium.* labe procul, *dictum cum reſpectu ad ipſius paginæ candorem*: deturpor, *cum reſpectu ad nigrum colorem, quo ſcripta*: torqueor, *quia pagina iam ſcripta, plicatur.*
2. ſtigmate) *ſigillo.* exul eo: *tranſmittitur enim aliò.*
3. dilaudor *&c.*) *ob elegantias, ob bona, quæ nunciat, &c.*
4. Non tamen) *quandoquidem ea retineri ſolet, non remitti.*

Ænigma.

1. ME miſerum: cæcum penitus natura creauit,
2. Et qui me cernit, fit quoque lucis inops.
3. Aſt vbi me Patris clarat manus, haud tamen illum,
4. Tunc quoque nil video; ſed tamen ille videt.

1. Me) *Hoc* Ænigmate *ipſum* Ænigma *ſignificatur; quod* cæcum *dicitur, quia obſcurum.*
2. lucis inops) *egens declarationis, qui legit me.*
3. Patris clarat manus) *Me Auctor notis illuſtrat.*

4. nil video) *quo enim modo videat compoſitio?* ille videt) *Lector cognoſcit, intelligit, quid ipſum* Ænigma *ſignificet. Vide alterum* Ænigma *de ipſo* Ænigmate, *proſa oratione compoſitum, in libello* Ænigmaton *eiuſdem Auctoris.*

AD SCALIGERVM FLAMINIVM, tibiæ vtricularis inflatorem,

vacua cum crumena redeuntem domum.

MVltiforum, incedens, buxum dum, Scaliger, inflas,
Euacuata, domum ſciſſa crumena redit.
Quid fundis lacrymas, inflare perite? tumeſcat,
Fac, tibi nunc flatu, ſicca crumena, tuo.

AD IOLAM SYLVIVM, venatorem, ſurdum.

SI volucres, vt verba capis, venator Iola,
Sic caperes, nunquam tu caperes volucres.

De ſuperiori Diſticho,

Ad quemdam nomine NEBRVM, reprehenſorem.

NEbro hæc cum legerem quondam duo carmina, dixit:
Stultè cum ſurdo, Carole, verba facis.
Cui ego: forte oculis ſurdus caret? hæc ego ſcripſi:
Ille ergo auditu; tu, Nebre, luce cares.

Ad BRVNDVM Germanum,

ſciſcitantem, cur Acetarium, Inſalata *italicè dicatur, cum præcipuum ipſius condimentum ſit oleum vnà cum aceto.*

HErbas, quas oleum in primis, & condit acetum,
Cur Itali appellent à ſale, Brunde, petis.
Neſcis Italicæ vocis vim, Brunde: neganti,
Quòd ſale vix egeant, has bene voce vocant.

Brundo igitur putanti, Inſalata, *dictam à ſale, potiùs à contrario dictam oſtendit Auctor, dum vocem illam negatiuam eſſe notat, idemque ſignificare, quod,* non ſalata; *vt* incredibile *tum latinè, tum italicè, ſignificat,* non credibile.

DE EBRO VOCALIONE,

De vendendarum rerum copia ſeſe efferente.

O Me felicem, rerum cui copia tanta eſt:
Se ſe iactando venditor Ebrus ait.
Infelix potiùs, cui tanta eſt copia rerum:
Felix, ni rerum copia tanta foret.
Imò magis felix, ſi nil, quod venderet, eſſet:
Quæ ratio? emptores iam reperiſſet Ebrus.

Aquæ

Aquæ vſus potiùs, quam vini, carmina compoſituro.

VAH, quicunque mero calidus, turgenſque Sorores
Caſtalides, faciles ad tua vota putas,
Fallere: quæ tumidus vinoſa poemata ructas;
Excitat Iſmarius thyrſiger illa pater.
Sublimes Muſæ, viles odere Poetas:
Eſt vilis, nimio dedita turba mero.
Sunt Muſæ, mentes: offenſæ munere Bacchi
Largifluo, nobis carmina clara negant.
Malit aquas, quiſquis Muſas exoptat amicas:
Non Bacchi, Muſæ, munera; fontis amant.

Vnde à varijs fontibus Muſæ *dictæ ſunt, Caſtalides; Pegaſides, Libethrides, Aganippides &c.*

Cur multa vocabula apud Priſcos in vſu; *noſtris temporibus obſoleta.*

PLurima cur priſco quæ tempore verba placebant;
Plurima non noſtro tempore verba placent?
Infecit nimia, vt carnes, mucore vetuſtas;
Verba perantiquo mucida facta ſitu.

Æni-

Ænigma.

SVm Princeps; tamen, heu, quoties ſuſpiria duco:
Grandia ſæpè etiam pectora cura premit.

Hoc Ænigmate ſignificatur littera, A. *Quæ quia litterarum prima eſt, dicitur hic*, Princeps: *& profectò valdè propriè*; princeps *enim propriè, primum ſignificat: vt apud Cic. pro* Domo ſua. *Qui in mea ſalute principem locum, auctoritatemque tenuiſtis. Ab hac ſignificatione manauit, vt qui omnibus dignitate antecelleret*, Princeps *diceretur: in qua ſignificatione hoc nomen hic poſitū videtur, præcipuè ex iis, quæ ſequuntur.* Quoties ſuſpiria duco. *Sic dictum eſt, quia ſuſpirantes, hanc litteram exprimimus.*

Ænigma.

A Me principium: quid ſim, tu cernis: ego hic ſum:
Hic ego ſum: cernis, ſis ni ſi lucis inops.

Hoc Ænigma *eamdem litteram*, A, *ſignificat*. A me principium. *Patet id ex Nota antecedenti.* tu cernis: ego hic ſum. *Nonne eam vides litteram in ipſo principio compoſitionis? in qua compoſitione, vt magis bellè procederet* Ænigma, *ipſa littera*, A, *poſita ſemel tantùm.*

A, cur

A, cur prima litterarum.

AD CLEMENTEM ANILIVM.

IVre quidem, Clemens, A, prima eſt littera: namque
Primum primi hominis nomine adepta locum.

Ænigma.

1. AVreus huic color eſt, interdum argenteus albet:
Sed plerunque niger cernitur eſſe color.
Serpenti ſimilis forma eſt, ſerpentis & inſtar
Sibilat; ore tamen non nocet: ore caret.
Si caret ore, inquis, qui ſibilat? ipſa profectò
Sibilat ore carens; ſibilat ore tuo.
Hæc lingua eſt, inquis: non eſt hæc lingua: colorque
Diſsimilis linguæ eſt, formaque diſsimilis.
Adde, quòd eſt oris lingua incola; ab ore reſultans
2. Pellibus hæc, ſcrutis, marmoribuſque manet.

1, *Per hoc* Ænigma *littera*, S, *notatur*, *quæ interdum exprimitur liquato auro, vel argento, vt & aliæ litteræ, ſed plerumque atra materia*.

2. Pellibus, *videlicet* chartis pergamenis, *in quibus ſcribi ſolet*. Scrutis, *videlicet*, pagina, *quæ ex attritis linteis, maceratiſque confecta*. Marmoribus. *In quibus ſculptæ cernuntur Inſcriptiones*.

De St, ſilentij indice,

Quæ ſola ex omnibus latinis dictionibus, & ſyllabis, caret littera vocali.

DAt vocem cunctis vocalis littera verbis,
Et ſine vocali ſyllaba nulla ſonat.
St, ſolùm, foret in primis cui iure tacendum,
Vocali vt careat, non ſine voce tamen.

Verbum, Nubo,

lepidè oſtenditur coniungi

cum caſu dandi, vel auferendi.

AD IOSEPHVM BERNERIVM Poetam per quam lepidum.

QVàm bene, Berneri, iungi dixere datiuo,
Aut ablatiuo, *nubere*, Grammatici.
Sæpè fit, vt nuptam vexet, crucietque maritus,
Iniiciatque feras barbarus vſque manus;
Auferat aut nupta, infidus bona cuncta, relicta,
Ducat & ablatis, tempora læta, bonis.
Dum legis hæc, rides? non ridet nupta, Datiuo,
Aut Ablatiuo coniuge, preſſa malis.

Ad

Ad Mulierem caput alis inaniter ornantem.

SCis'ne, quid appoſitis capiti ſignatur ab alis?
Quòd tibi iam cerebrum, fœmina vana, volat.

Ad eamdem, in idem capitis ornamentum.

QVòd formæ muliebre decus volet, edocet ætas:
Ex alis capitis, fœmina, diſce quoque.

Puella mortua in vtero ægrotantis Matris, *ea de cauſa poſteà quoque mortua.*

OCciſura meam, occidit me ventre, parentem
Mors: ruit in duplex Mors ſcelerata nefas.
Chara, ò chara parens, mihi viuere dulce datura,
Immeritò, heu, vitæ munere caſſa iaces.
Ipſa inſons veniam poſcam? Mors impia poſcat:
Intulit iniuſtè Mors fera vtrique manus.

AEni-

Ænigma.

1. OCciſi vix me tenuit præſentia amici,
2. Cum ſuper occubui membra, fluens lacrymis.
Nec fruſtrà lacrymas fudi; qui cæde iacebat,
3. Surrexit ſtrato, teſte ſtupente, ſuo.

Significatur hoc Ænigmate Malum aureum *ſuper aſſatum alitem expreſſum.*

1. Occiſi) *Alitis aſſati* : amici, *quia ſimul eſſe ſolent.*
2. fluens lacrymis) *Sic dictum, ſucci diffuſi cauſa.*
3. Surrexit. *Merus iocus, ex æquiuocatione : nullius hic mortui ſuſcitatio, nullum prodigium.* Surrexit *igitur, quia ales ſucco imbutus, ad os admotus eſt, elatus* ſtrato, *videlicèt, patina. At quid illud,* teſte ſtupente? *Sic de edente, dictum bellisſimè, ut prodigij fictio procederet, ex oris apertione, dum edimus: apertio enim oris ſignum quoque eſt admirationis.*

Aeni-

Ænigma.

1. DVm nos ob caſos largè lacrymamur amicos,
Immodico riſu, ſæua caterua, ſonas.
Nec riſiſſe ſemel ſatis eſt tibi, barbara; laxas
2. Labra iterum riſu, ſi lacrymæ refluant.
Quid dignum tanta tibi nunc feritate precemur?
Sardonio riſu denique vt intereas.

1. Dum nos) *Idem* Ænigma *eſt, ſed non de vno, at pluribus* malis aureis; *expreſſis ſuper pluribus alitibus. Quid hoc primo carmine ſignetur, patet ex nota 1. ſuperiore.*

2. Si lacrymæ refluant) *Si alia* mala aurea *ſuper alios alites exprimantur.*

Ænigma.

1. ME tota ex auro veſtis confecta tegebat,
Veſtis mira magis veſtibus Attalicis.
2. Inuidit fortuna: manus, manus impia, ferro
Protinus inuaſit, diſſecuitque mihi.
Tunc ego tot lacrymas, diſſecta veſte, profudi,
Vt vita in medijs deſierit lacrymis.

1. Me) *Hoc etiam* Ænigmate malum aureum *notatur: dictum eſt,* tota ex auro veſtis, *nam ipſius* mali *cortex aurum exprimit colore: ideòque* malum aureum *dictum.*

2. Ferro) *quo medium in duas diuidi ſolet partes.*

Ænigma.

1. AVrea veſtis erat mihi, qua non pulchrior vlla:
2. Experta eſt auidas inuidioſa manus.
3. Intima tunc tunica (indignum) mihi ſola relicta eſt,
4. Et madui toto corpore præ lacrymis.
Quàm ferus ille fuit, qui me ſpoliauerat auro:
5. Gauiſus lacrymis protinus ille meis.

Hoc Ænigmate etiam malum aureum *ſignificatur, ſed, antequam exprimeretur, non diuiſum, vt fieri ſolet, at totum cortice diſpoliatum.*

1. Aurea veſtis) *Cur ita dictum, liquet ex Annotatione I. in compoſitionem antecedentem.*

2. Inuidioſa) *Nomen hoc accipitur hic elegantiori ſignificatione, iocoſè tamen:* inuidioſus *enim elegantiùs notat eum, cui inuidetur, quàm eum, qui inuidet, vt apud* Martialem *epig. 2. lib. Spect.*
Inuidioſa feri radiabant atria Regis.

3. intima tunc tunica) *Quænam (inquies) hæc* intima tunica, *quæ ſubucula hic eſſe videtur? pellicula illa candida, quæ detracto cortice, cernitur in* malo aureo.

4. Et madui toto) *bene toto corpore, nam totum diffluxit.*

5. Gauiſus) *Sic dictum ob gratiſsimum ſaporem ſucci* aurei mali.

De

De ſtylo Epigrammatis.

Ad Poetam,

fundentem ampullas, & ſeſquipedalia verba.

PArce inflare genas, & ſeſquipedalia verba
 Fundere, qui dignum laude epigramma cupis.
Quid tumefacta vomunt totum præcordia Phœbum?
 Pectore tam valido quid reboare iuuat?
An metuis, ne rumparis, ni pectus ad aſtra
 Emittat voces? ni ſtrepat, atque tonet?
Non tantos poſcit ſtrepitus epigramma, Poeſis
 Pars minima; exiguo comptiùs ore ſonat.
Aggredere hoc tanto maiora Poemata hiatu,
 Promeque Lucani, ſiue Maronis opus.
Vel tollas voces cum frondatore, vel altè
 Stulto, inter ſyluas, cum Corydone canas.

Epigramma vt pulcherrimum ſit, Api ſimile eſſe debet.

PAngere quàm pulchrum cupiens epigramma, laboret,
Vt ſimile in cunctis hoc videatur api.
Parua, apis, & nitida eſt; ſit tale epigramma: fluitque
Melle apis; eloquio dulci epigramma fluat,
Atque, vt api, extrema ſit parte epigrammati acumen:
Pulchrius hoc pangi non epigramma poteſt.

Epigramma ſine Argutia prorſus friget.

AD HVGONEM NAREMVNCTIVM.

COrpus habent, animam, propriaſque Epigrammata veſtes,
Materies corpus, dant animamque ſales.
Excultus ſermo veſtes: epigramma, decora
Qui tantùm exornat veſte, quid, Hugo, facit?
Nil facit, Hugo: carens ſalibus, frigetque, iacetque:
Quid pulchri à pulchra veſte cadauer habet?

De

De ſtylo eiuſdem Epigrammatis,

concluditur

Diſticho Martialis, lib. XIII.

QVid ſit, crede mihi, neſcis, Epigramma, vel altum
Carmen, vel nimiùm nobile quiſquis amas.
Cum minima excelſæ ſit pars Epigramma Poeſis,
Aptiùs hoc humili cernitur ire gradu.
Inſpice Bilbilicum Vatem: quid planius illo?
Cui magis ingenuo carmine Muſa fluit?
Texta roſis, fortaſſe tibi, vel diuite nardo;
At mihi de turdis facta corona placet.

In Epigrammate componendo Auctoris ordo.

SÆpe Epigramma mihi condenti, carmina fiunt
Principio, extremo conſtituenda loco.
Ordine an inuerſo? caue, credas: ordine an apto?
Ne dubites: aptè, hoc ordine ſurgit opus.
Illius extremum, eſt baſis, aut fundaminis inſtat,
Quo ſuper inniti carmina cuncta, decet.
Vt muros tollas, primùm fundamina ponis;
Vtq; loces ſtatuas, ſubijcis antè baſes.

Ad Anagrammaton contextorem, Ne in Anagrammatis conficiendis *tempus impendat, repugnante natura.*

MAgnũ opus aggrederis, quicunq; Anagrãmata condis:
Cuiuſq; haud aptum viribus iſtud opus.
Huius amor ſtudij teneris me cepit ab annis;
Quiq; alios cruciat, me labor iſte leuat.
Si tibi non genius, tua ſi natura repugnat,
Sit procul à ſtudio fac, Anagramma tuo.
Egeris inuita, quid dignum laude, Minerua?
Perdideris oleum, perdideriſq; caput.
Effundes nugas, ſciolus quas tollat ad aſtra,
Sed quas deſpiciat, reijciatq; ſophos.
Rarus, crede mihi, bonus eſt Anagrammatis auctor:
Rarus in hoc ſtudio præmia laudis habet.
Sexcentos vidi, quibus eſt Anagrammate ſudor;
At de ſexcentis vix duo, treſuè placent.
Quis namq; appoſitum, propriumq; Anagramma quis edit?
Quis non obſcurum? quis ſine labe parit?
Talia dant rari; pariunt puerilia multi,
Quæq; cient ſtomachum, mucida verba locant.
Senſaq; diſtendunt plùs, quàm producere pelles
Antiquas ſutor dente furente ſolet.
At tua (forſan ais) bona ſunt? ſtet noſtra diſerti
Iudicis ad ſenſum cauſa, cadatuè, volo.
Hoc ſcio, nunquam bis denos, plureſq; per annos,
Queis docui, hoc ſtudij me docuiſſe genus.
Contrà igitur genium, caueas, Anagrammata pangas,
Ni puer, aut ſtultus, cerdo vel, eſſe velis.

AD ZOILVM.

De duritie carminum Auctoris ſictè anxium, ſictèq; dolentem.

HEi mihi, quot video, quot, Carole, carmina libris,
(Zoile, ſic clamas, inuide) dura tuis.
Zoile, quis dolor eſt? cur, hei mihi, Zoile, clamas?
An tibi fregerunt carmina dura caput?
Zoile, quid latras? te carmina dura quid angunt?
Carminibus duris, non bene, crede, doles.
Gaudendum potiùs: ſi carmina dura, canino
Rodere, more tuo, Zoile, dente potes.

AD LECTOREM.

FOrſan, Lector, ais: tot ſunt cur tradita luci
Carmina? cælaſſes tu bene multa domi.
Mentis cuncta meæ, Lector, ſunt carmina, fœtus:
Non patitur natos luce carere parens.
Matris amor nimius; ſummo pater ardet amore:
Deformem ſobolem qui genuere, probant.

FINIS.

Errata Corrige.

Pagina.	linea.		
28.	11.	*demptum*	*dempto.*
37.	8.	*Epiſcopum*	*Archiepiſcopum.*
75.	13.	reuelare	releuare.
89.	15.	tu non ne	tu ne.
90.	32.	quoqus	quoque.
107.	5.	*voluntatem*	*volutantem.*
183.	4.	*eadem*	*eodem.*
206.	22.	Viros?	Viros!
	23.	Chriſtadum	Chriſtiadum.
223.	15.	EIRMVS	FIRMVS.
332.	10.	vensvrum	venturum.
345.	16.	ponita	ponite.
350.	15.	nunc	nuce.
351.	8.	Pſittacce.	Pſittace.
361.	7.&13.	*marinè*	*mari'ne.*
371.	4.	horror	hortor.
35[illegible]	penult.	tu[illegible]	turbat.

Errores paucos minutiores hic prætermiſſos, Lector beneuolus excuſabit.

IN-

INDEX

Eorum, de quibus agitur in his IV. EPIGRAMMATON Libris.

Quibus aſteriſcus præponitur, vnum, vel plura inſunt Anagrammata.

A

A, duobus Ænigmatibus proponitur. *pagina* 376.
cur prima litterarum. 377.
Academia Argonautarum, Anconitana. 121.
Academia Variorum, Romana. *ibidem.*
Acephali, hæretici, prorſus Acephali. 329.
Acetarium, cur lingua italica, *Inſalata.* 374.
Adam. 283. *vide etiam.* 101.
Aduerſis in rebus gaudendum. 138.
*Æmilius Alterius S. R. E. Cardinalis. 169. *vide etiam* Clemens X. P. M.
Ænigma, propoſitum Ænigmate. 372.
Aer flabello percuſſus, Ænigmate propoſitus. 365.
Æſchyli poetæ mors. 290. & 291.
Alcon ſagittarius admirabilis. 185.
*Alexander VII. P. M. 159. & 160. *vide etiam*, Fabius Chiſius.
Aloyſius Gallus, Epiſcopus. 176.
SS. Alphius, Philadelphus, & Cyrinus. 65. 66. 67. & 68.
Amans, amens. 129. Idem ridiculus. 293.
Amator rerum caducarum. 127. inſanus. 128. ſtultior puero, *ibid.* Ad Eumdem, 129. *vide*, Iuuenis, Voluptas, &c.

S. Am-

S.Ambroſius Epiſcopus, Eccleſiæ doctor. 53.
Ambroſius Landuccius, Epiſcopus. 213.
*Amicus menſæ, muſca. 308.
Amor ſanctus. 95. Amor in imperante. 119. Amor prauus, malè puer fictus, 126. Amor in correctore. 141.
Anagrammata, inuita Minerua non componenda. 386.
Anagrammatographus, ſculptori ſimilis. 167.
Ancona, nobilis optimorum Vatum Genitrix. 211.
S. Andeolus, enſe ligneo capite conſciſſus. 59.
*S. Andreas Apoſtolus. 39.40.
Andreas de Comitibus. 220.
*Angeli cuſtodes. 28.
Anima Iuſti, hortus floridus. 97.
Animæ prauæ, flumina irrequieta. 98.
Animæ Purgatorij, & Inferorum. 99.
Animam amittere, pro, mori, bene dictum ab Ethnicis. 312.
S. Anna. *vide* Ioachimus.
Anna Maria Auſtriaca Regina. 190.
Annus 1660. prænunciat Auctori mortem, *&c.* 325.
Annus, idem, bibaci ægrotanti ſalus. 326.
*S. Antonius de Padua. 85.
Antonius Cotonus Tertij Ordinis S.Franciſci. 234.
Antonius de Alphonſis, è vite pergulana lapſus, mortuuſque. 340.
*Antonius Magliabechius. 228.229.279.
Antonius à S. Michaele, *&c.* 59.345.346.
*Antonius Maria Martorellus. 272.273.
Antrum Bethlemicum. 3.
Apes Barberinæ, Liber Leonis Aliatij. 207.208.
Apollo, Marſyam excorians. 133.294.
Aquæ inimicitia perpetua cum igne, oleoque. 365.
Aquæ potus, poetæ potiùs, quàm vini. 375.
Aquila libertate donata à fratribus carcere incluſis. 287.
De eadem Aquila, *vide* 258.

Ara-

Aranearum telæ Romæ collectæ, & ponderatæ. 290.
Arbor, bene generis fœminei. 353.
Arcus mulierum capillis muniti. *vide*, Mulierum capilli.
*Ariſtoteles, vt Sol. 198.
Aſinus ænigmate propoſitus. 348.349.
Attila Rex. 204.
Atys, Crœſi Regis filius mutus, repentè locutus. 184.
Auari, *vide* Simulacra Gentium, argentum, & aurũ, & 132.
*Auguſtinus Fauoritus. 226.
Auguſtus Chiſius, Princeps. 219. ad eundem. 205.
*Aulicus, adulator. 319. claudus. *ibid.* caluus. *ibid.*
*Aulicus rectus. 320. Flaccus aulicus ſub noctẽ ſedens. *ibid.*
Aulicus claudus ad irriſorem. *ibid.*
Aurelij Antonini Caracallæ Obeliſcus. *vide* Obeliſcus.
Aurum quid appetis, cũ nihil ſit, niſi terra ſulphurea? 317.
Auri poſſeſſor iubet. 318.

B

Bacchanaliorum tempore homines cum piſcibus comparati. 149. Cur perſonati, *ibid.* Olmos, loco pilei nauiculam geſtans. 335. Varia monſtra ſtultitiæ, *ibid.* Petrus cum fictis pedibus, & manibus. 336. Inopes plurimi cæcitatem ſimulantes. 337.
Bacchus ſuper dolio, fons Romæ, reprehenditur. 296. laudatur. *ibid.* Bacchus cùr imberbis ab alijs, ab alijs barbatus fingatur. 297.
Baiulus marmoreus cũ cado, ridens, Fons Romæ. 369. 370.
Barbæ, inter loquendum attrectatio. 342.
*S. Bartholomæus, Apoſtolus. 40.41.
Bartholomæus Tortolettus. 261.
Bebius Pamphilus, mortuus quæſita hora à puero. 118.
Bebius, iudex, mortuus, dum vadimonium differri iubebat. 1
Bellum, bellè bellum quodnam dicendum. 3

S.Bernardus Abbas. 83.
Bibliotheca Vaticana. 207.

C

CAduca, exprimunt, la, ſol, fa, mi, re, do. 346.
S.Cæcilia Virgo, & Martyr. 61.
Cæcus à Chriſto viſum petens. 15. cæcus ænigmate propoſitus. 310. cæcus Papyrius veſte lugubri cur ſemper indutus. 337. à cæco, videns nihil differt. 367.
*Cæſar Baronius S.R.E. Cardinalis. 170.
Cain. 284.
Calculi, memoriam mortis excitant. 309. vitæ ſummam ſæpè notant. ibid.
Calor optimus quiſnam ſit. 308.309.
*Caluinus. 331.
*Calumniator. 142.
Caluus ad capillatum irriſorem. 358.
Cambyſis Perſarum Regis pœna in iudicē iniuſtū. 289.290.
Camillus Maximus S.R.E. Cardinalis. 177.
Camillus à S.Hieronymo Generalis. 112.240.241.242.243.
Candela cerea, ænigmate propoſita. 151.
Cantori abſono, aptiſſima fœminæ reſponſio. 346.
Capo ſine alis in menſam illatus. 280. 281 loco leonis immiſſus in reum à Gallieno Imperatore. 289.
*Cardinales S.R E. cardines terræ. 178.
Carmina ſine verbis. 67. ex omnibus partibus orationis conſtantia. 138. quomodo componenda, vt perennent. 201.de carminibus Virgilij, 292.de duritie carminum ad Zoilum dolentem ſimulatè. 387.
S.Carolus Card.Borromæus. 74.
*Carolus Emmanuel, Duratius, Comes. 227.
*Carolus Sinibaldus. 265.266.
Carolus à S.Cæcilia, mirus memoria. 247.
Carolus Ioannes à Ieſu, &c. 114.

S.Ca-

S. Catharina Virgo, & Martyr. 61.
Cathedra ænea, in qua D. Petri Cathedra lignea incluſa. 206.
Caupo, gladio data prandia in tabulis ſignans. 282.
*Chriſtina Sueciæ Regina. 191.
Chriſtus, natus. 2. 3. de eodem nato vide quatuor hymnos ſequẽtes, & 9. & 112. velatus facie. 10. crucifixus, amantis liber. 1. in eiuſdem verba de Cruce pendentis, &c. 10. de eodem è Cruce pendente. 11. eiuſdem ſepulchro diſtichon duplex. *ibid.* ad eumdem Cruci affixum. 12. 13. in eiuſdem reſurrectione. *ibid.* Idem Sol. 15. Chriſti bonus odor ſumus. *vide* Anima iuſti.
Cibi ſecundæ menſæ cur dicti, Bellaria. 307.
Cibus ænigmate propoſitus. 366.
Cicero. 198.
Cilicium S. Edmundi Epiſcopi ab igne illæſum. 60.
*Cinellius Maſtrarafcus. 262.
*Clemens IX. P.M. 161. 162. 163. *vide etiam*, Iulius Roſpigioſius.
*Clemens X. P.M. 168. *vide etiam*, Æmilius Alterius.
Cleopatra Regina ſculpta cum lacrymis, queritur. 192. 193.
*Clerici Regulares, Matris Dei, Scholarum Piarũ. 123. 124.
Cœlum ſepultum Mariæ corpus à Terra petens. 25. Cœlum, quàm vaſtum. 94.
Conſpicilium iuuenile ænigmate propoſitum. 363. 364.
Corona ex prodigijs contexta, Libellus, &c. 214.
Correctio quomodo adhibenda. 141.
Coſmus à Ieſu Maria, &c. 243.
S. Creſcentius, puer, Martyr. 77.
Crimina libertate priuant. 107. facilè notantur. 133.
Crux Chriſti dat remos. 12.
Cupido alatus, roſiſq; redimitus, quid notet. 127. Cupido, & Mors cum vitta oculos præcincti. 298. *vide etiam*, Amor prauus.

D

*DEcor. 152.
*Democritus ſemper ridens, &c. 117.118.
Dialogus inter Cœlum, & Terram de corpore B. Virginis. 25.
Dilectus meus candidus, & rubicundus. 15.
Diuites alienis bonis impinguati. 100. ſplendore virtutis illuſtres, *&c.* 316. Diues libertatis cupidus, anguſta vectus rheda. 317. Diuites honor ſequitur. *ibid. vide* Aurum.
S. Domus Lauretana. 29. De eadem, *vide* 212.
Domus Ludouici XIV. Galliarum Regis. 190.

E

S. EDmundus Epiſcopus. *vide*, Cilicium, &c.
Effigies ſine lingua ad viuum expreſſa. 354.355.
*S. Eligius Epiſcopus. 56.
Eloqui Dei. 102.103.105.
SS. Emerita, & Digna Virgines, & Martyres. 51.
*Emmanuel Theſaurus, Comes. 230.
Epigramma ad Emptorem, de Epigrammatis, *vide ante initium libri primi*, de ſtylo Epigrammatis. 383 *&* 385. Apis ſimile. 384. ſine argutia friget. *ibid.* In ipſius ſtructura Auctoris ordo. 385.
Epiſtola ad abſentem. 371 *vide*, Pagina, in qua, &c.
Epitaphium Chriſti. 11. SS. Stephani, & Laurentij. 47. epitaphium diuerſum ab omnibus epitaphijs. 156. M. Tull. Ciceronis. 198. Saxonis, poetæ biboſi. 370.
Equus currens, poſteà ſe voluntans, pictura Pauſonis. 107.
Eraſmus hæreticus, laudator ſtultitiæ. 331.
Eua, 284. *vide etiam pag.* 101.
*Euchariſtiæ Sacramentum. 14.15.

S.Euphemia Virgo, & Martyr. 62.
*S.Euſtachius Martyr. 57.

F

*FAbius Chiſius S.R.E. Card. 164.165. *vide*, Alexander VII. P.M. & Muſæ Iuuen les.
Fabula mirè acta, & attentiſſimè excepta. 253.
Famianus Strada, Soc.Ieſu. 236.
Felis à mure occiſa. 351.
Ferdinãdus Furſtenbergius Epiſcopus.97. Ad eumdẽ. 52.53.
Ferdinandus Caracciolus. 219.
Ficus infœlix. 367.
SS.Fides, Spes, Charitas, ſorores, Martyres. 79.
Fides Chriſtiana. 103.
*Flauius Chiſius S.R E.Card.*ante initiũ libri* 1.& 174.175.
Flauius Veſpaſianus Imp. ſtans, morti proximus. 182. ad eumdem, de perpetua ipſius vigilantia.183. de eodem, cui vultus, veluti nitentis. *ibid.*
*Flauius Ventrilia. 270.
*Florauantes Martinellus. 263.264.de eiuſdem rure. 353.
Flos hians, mortalis vitæ hieroglyphicum.139.flores Marij Nuzzij.}*vide*,Marius,&c.
Fluuius exundans, poſteà quieſcens, propoſitus ænigmate. 364.
*Fœlicitas vera. 131.
*S. Franciſcus Aſſiſias. 83.84.
Franciſcus Magnus, Comes. 216.217.
*Franciſcus Macedo, Min.Obſer. 231.232 233.
*Franciſcus Maria Pratus, Regius Conſiliarius. 223.224.
Fratres altercantes de hora, qua ſoror mortua. 338.
Frigus an vnquam calidum bene dici poſſit. 360.
Fructus ænigmate propoſitus. 365.
Fur. 360.

Gal-

G

GAllieni Imperatoris pœna ludicra. 289.
Gaſpar Dragonettus, humanioris diſciplinæ Doctor. 248.
Gaudia fugacia, vilia. 128. vera, 129. imperfecta, 132. Gaudia poſt curas. 138. *vide etiam*, Cupido, Voluptas terræ.
Gemitus pueri vix nati quid notet. 101.
Gibbi cur plerumque percallidi. 359.
SS. Gildardus, & Medardus, Epiſcopi. 56. & 57.
Grimaldi Regis mors. 184.
Grammaticæ Inſtitutionis Liber. &c. 245.

H

HEbræa, deuoratrix filij, vt fami conſuleret. 299. 300.
*Heraclitus, & Democritus. 117. 118. Heracliti caput ex electro. 293. *vide etiam* 297 *vbi de* Lucina.
Hercules, nens, fœmineis veſtibus indutus. 295. 296.
S. Hieronymus, Eccleſiæ Doctor, lapide ſibi pectus percutiens. 54. ſub noctem ſcribens. *ibid.* & 55.
*Hippolytus Marraccius Congregat. Lucenſis, Matris Dei. 240.
Homo ad Chriſtum Crucifixum conuerſus. 12. 13. homo improbiſſimus liberum ſe dicens. 107. virtutes non ſpectans, ſed vitia. 133. ſuperbus, cur, licet primarius, vituperetur, &c. 134. improbus quare oculos quoquouerſum conuertat, probus contrà. *ibid.* cur ductus ex humili loco cur tumidis oculis aſpiciat 135. probus, ſemper humilis. 137. homo puluis. 144. vmbra. 145. flos *ibid.* homo cur capite gignatur, pedibus efferatur. 324. 325. *Præterea, vide,* Bacchanaliorum tempore, Iuuenis. Stoliditas, &c.
Honor ab opibus, & auro. 317.
Horatius Flaccus. 314.

Horatius Beueolus. 273.
Horologium aquarium, ſolarium, & arenarium. 146. de arenario, ſiue pulucreo, *vide etiam*, 148. & 270. Horologium rotale. 147. Horologium ex myrto, Tuſculi. 285.
Hyacinthus Libellus, Archiepiſcopus. 37.
Hyacinthus Cardulus. 261.
Hymni IV. Eccleſiaſtici, de Confeſſore, de Transfiguratione, de D. Maria Magdalene conuerſi in hymnos de Chriſti Natiuitate. *vide*, Chriſtus natus.
Hymni tres de SS. Ioachimo, & Anna. *vide*, Ioachimus, *&c.*

I

S. IAcobus interciſus. 68. 69.
Iacobus Roſpiglioſius S.R.E. Cardinalis. 175.
*Iacobus Chariſſimus. 274.
*Ianus Nicius Erythræus. 135. 136. 137. ad eumdem. *à* 249. *vſque ad* 260. & de eodem, *ibid.* & ad eumdem. 280. 281. 282. 283. *inter quæ aliqua ipſius* Iani Nicij *inſerta Epigrammata.*
Ibant, & flebant, mittentes ſemina. 103.
S. Ignatius Loyola, Soc. Ieſu Fundator. 86.
Ignatius Bomplanus, Soc. Ieſu. 237.
Ignis inimicitia cum aqua. 365.
* Imperator. 36. 119.
Infœlicitas hominum. 138. *vide*, Homo, Iuuenis, Mors, Vita, *&c.*
*SS. Innocentes. 34.
Innocentius X. P.M. 170.
SS. Ioachimus, & Anna. 30. 31. 32.
S. Ioannes Apoſtolus. 10.
Ioannes Bona S.R.E. Cardinalis. 180. 181.
Ioannes Boſdarius. 323.
* Ioannes Caramuel Epiſcopus. 215.
Ioannes à Ieſu Maria. 243.

*Ioannes Lottus. 268.269.
Ioannes Antonius Capiblanchius, Epiſcopus. 212.
*S.Ioannes Baptiſta. 33.34.
Ioannes Baptiſta Gratiolius, Eques. 259.
Ioannes Baptiſta, & Alexander Syri. 286.287.288.
Ioannes Franciſcus à S.Petro. 120.
Ioannes Franciſcus Raymundus. 271.272.
Ioannes Maria Morandus, pictor. 277.
Ioannes Nicolaus de Comitibus, S.R.E.Card. 176.
Ioannes Victorius Roſcius, *vide ſupra*, Ianus Nicius.
Iolas Syluius, ſurdus, venator. 273.
*S.Ioſeph, B.V.M. Sponſus. 29.30.
*Ioſeph à Viſitatione, Generalis Patrum Scholarum Piarum. 244.
Ioſeph Baptiſta. 305.306.
Iracundia Apollinis.133.Eurylochi. 279.
*Iudas Iſchariotes. 108.109.110.
Iudex iniuſtus poſt Cambyſis Regis mortem. 290.
Iudicium extremum. 100.
S.Iulianus, Martyr. 58.
Iulitta Martyr. 81.
Iulius Mazarinus, S.R.E.Cardinalis. 173.
*Iulius Roma, S.R.E.Cardinalis. 172.
*Iulius Roſpiglioſius S.R.E.Card. 165.166. *vide*, Clemens IX.P.M.
*Iuliuus Cartharius, almæ Vrbis Senator. 222.223.
*SS.Iuſtus, & Paſtor, fratres, Martyres. 63.64.
SS.Iuſtus Epiſcopus, & Viator eius Lector. 75.
*Iuuenis,ſtultus oſtenditur.125.126.eius vita.143.Iuuenis, Senex,Iuuenta,Senecta,aptè eiuſdem declinationis.323.

K

K, vitæ ſignum, & mortis oſtenditur. 146.

L

LA, ſol, fa, mi, re, do. *vide*, Caduca.
Lacrymis vox. 101. *vide etiam*. 193.
Lælius Siccoſſius, mortem coloribus exprimere contendens. 355.
*Laudator nimius. 347.
*S. Laurentius, Martyr. 46. eiuſdem epitaphium. 47.
S. Lector, ſagitta gutture transfixus, dum caneret alleluia. 76. 77.
Lemmata Epigrammaton Auctoris. 293.
Leo Allatius, cuſtos Bibliothecæ Vaticanæ. 207. *vide etiam*, Apes Barberinæ.
*Leopoldus Medices, S.R.E. Cardinalis. 177.
Liber Amantis, *vide*, Chriſtus. liber plenus doctrina, ænigmate propoſitus. 157. libri miſſi eum placenta. 283. liber primus editus poſt editionem libri ſecundi, propoſitus ænigmate. 305. libri de morte agentes. 324.
Librarij, triremis pœna multati. 343.
Licius Elleborindigus, ſibi caput triplex ineſſe putans. 334.
Linus interfectus, cum lucernam vellet accendere. 341.
*S. Lucia Virgo, & Martyr. 50. 51.
Lucina, quæ & Diana. 297.
Lucretia Romana excuſata. 193.
Lucretia Patauina, noctù miſerè enecata. 194. eadem præponitur Lucretiæ Romanæ. 195. Ad eamdem. *ibid.*
*Ludus. 361. ludus ab Auctore, tempore adoleſcentiæ excogitatus. *ibid.* luſus Mortis. *vide*, Horologium ex myrto.
Lupa, Romuli, Remiq; nutrix. 299. 300.
Lupus Epiſcopus, ouium verè præclarus cuſtos. 72.
Luſus canori, liber. *vide*, Camillus à S. Hieronymo.

M

S. Machir, tertius ex fratribus Machabæis. 35.
*Magiſtri cura quænam ſit. 120. Magiſtri, ſcientias ſolùm docentes. *ibid.* Magiſter nimis ſeuerus, bellè illuſus. 345.
Maius non eſt, quod bis idem dicitur. *cur ita dicatur.* 347.
Malum, *ideſt*, damnum, *vnde dicatur.* 311.
Malum aureum ſuper aſſato alite expreſſum, quatuor ænigmatibus propoſitum. 380 381. 382.
*Manes, hæreticus, ſe de Virgine natum iactans. 331.
Manuductio ad Cœlum, liber. *vide*, Ioannes Bona, Card.
*Marcellus Seuerolus, Aduocatus Conſiſtorialis. 224.
*S. Marcus Euangeliſta, pro Venetis in Turcas. 41. 208. 209.
Marcus Baculeius, cuncta pilea ſibi grauia, dolens. 333.
Mare ſtatim placatum, deiecto ſaccharo. 358.
*S Maria, Dei Genitrix. De eius Conceptione. 16. 17. de eius Viſitatione. 18. de eius Aſſumptione. 18. 19. 20 21. 22. 23. 24. 25. de eiuſdem Aſſumptione. *vide* Carmen *poſt finem Epigrammatum libri primi*. 89. eadem Mortis medicina. 17. in eiuſdem laudem ex Niue ſuper Monte Exquilino. 26. 27.
*S. Maria Magdalene, oſtenditur Anagramma Dei. 42. de eadem, Chriſti amore flagrante, & lacrymante. 43.
*Maria Portia Vignola 197.
Maritus, ſæpe datiuus, vel ablatiuus lepidè notatur. 369.
*Marius Calderinus, ex Clericis Minoritis. 238.
Marius Nuzzius, florum pictor. 277.
Marſyas ab Apolline excoriatus. 133. 294. Idem in fluuium ſui nominis conuerſus, queritur. 195.
*Martha Marchinia. 196.
*Martinus Lutherus. 330.
*Martinus Meſquita. 267.
*Martius Ginettus, S. R. E. Cardinalis. 171.

Mar-

Martyres multi die feſto Natalis Chriſti. 93

Martyrologium Romanum. 88.89.

Medici rudes. 342. medicus ænigmate propoſitus. ibid.

Memoria admirabilis. vide, Carolus à S. Cæcilia.

*Meretrix ad Deum conuerſa (expreſſa coloribus) obiecta repentè imagine oſſis humani capitis in ſpeculo, quo ſe vanè contemplabatur. 153. Meretrices, rete. 154.

*S. Michael Archangelus. 27.28.

*Michael Iuſtinianus Abbas. 263.

*Michael Angelus Sammarrucus. 271.

Miles Alexandri Magni, dictus male Paſquinus, queritur. 367.

Mille, ænigmate propoſitum. 202.

Mors ad Cœlos iter. 94. vexillum geſtans in lapide ſepulchrali. ibid. olim ſors. 96. ſemper crudelis, & inexorabilis. 114. eadem laudatur. ibid. vitta oculos præcincta. 168. ludit mortales. 285. de morte cur dixit Horatius, pulſat pede, non autem manu. 311. cur pallida dicta ſit. 312. quare generis tantùm fœminei. ibid. quare bonos plurimos citò rapiat, contrà malos plurimos diù viuere ſinat. 113. amica ſeni. 321. Mortem ſibi prædixit Auctor, &c. 325. mors quomodo ad viuum exprimatur. 355. Vide præterea, Homo, Senex, Stoliditas Hominis, Vita, &c.

Mortuus, cur ſolũ ex cunctis prætcritis exeat in tuus. 356.

S. Moyſes, olim latro, latrones alloquitur, & conuertit. 81.

*Mulieres, quid ſint. 153. de ipſarum noxijs capillis. 155. de earumdem noxio intuitu. ibid. Ad eaſdem alis capita exornantes. 379.

Mundus, immundus. 126. mare. 167. ipſius gloriæ ſplendor cui rei ſimilis, 156. eius gloria quonam plauſu viuat, & pereat. 157. eiuſdem octo Miracula. 204. vide etiam, Amator rerum caducarum. Fœlicitas vera, &c.

Mus occiſor felis. 351.

Muſæ Iuueniles. liber ſublimis Pöetæ Fabij Chiſij, &c. 179.

*Muſica. 346.

N

NAſus prælongus, & rotundus. 357. Cur italicè dicatur homini irato: *Ti fuma il naſo.* 358.
Nauicula Euangelica, quæ operiebatur fluctibus. 98.
Nauis marmorea. Fons Romæ. 285. Nauis loco pilei homini perſonato. 335. Nauis libera à ſubmerſione, deiecto ſacchare. 364.
*Neapolis, plurimorum, & nobiliſſimorum Mater Poetarum. 210.
Nebrus lepidè notatus ab Auctore reprehenſo. 373.
Nero Imper. S. Petri Apoſtoli occiſor. 36. Romæ incenſor. 288.
*S. Nicolaus Myræ Epiſcopus. 48.
*Nicolaus Bellus Religionis Miniſtrantium Infirmis. 239.
Nihil. 135. 136. 137. *vide etiam*, Terrena.
Niuardus frater S. Bernardi Abbatis, natu minimus. 122.
Nix ſuper Colle Exquilino, Menſe Auguſto. 26. 27.
Non, ænigmate propoſitum. 327.
Nubo, datiuo, vel ablatiuo iunctum bene, oſtenditur lepidè. 378.
Nux, ænigmate propoſita. 350. *vide etiam*, de eadem. *ibid.*

O

OBeliſcus Antonini Caracallæ, Romæ in Circo Agonali. 93.
Oculi, ſtellæ errantes, & fixæ. 150. Oculi pupilla, & virgo, quàm bene à Græcis eadem voce ſignificetur. *ibid.*
Opto, & poto. 308.
Oratio habita in Chriſti Natali, epigrammate compreſſenſa. 112
Orator. *vide*, Prædicator.
Ouidius Naſo, vel poſt mortem afflictus lepidè demonſtratur.

tur. 313. ad eumdem, quocum Horatius Flaccus. 314. De iiſdem ad Virgilium pictorem. *ibid.*

P

Pagina, in qua epiſtola ad abſentem, ænigmate propoſita. 372.
Pandoræ, gentes in Indiæ conuallibus. 143.
*S. Pantaleon, Martyr, medicus. 70. 71.
Parui corpore, cur celeriùs iraſcantur. 360.
Paſquinus, *vide*, Miles Alexandri Magni.
*Patientia. 139.
*Paulus Apoſtolus. 37. 38. 39. *vide etiam pag.* 106.
Paulus Burgheſius, mortuus Tuſculi, Iunio. 218.
Pauper, probus, ænigmate propoſitus. 103.
Pax, pax, & non erat pax. 104.
Pax ſub Alexandro VII. P.M. *vide*, Alexander VII. P.M.
Pax Iulium Card. Mazarinum alloquitur. 173.
Perſica. 353.
*S. Petrus, in vinculis, ad Herodem. 35. de ſalutiferis eiuſdẽ vinculis, & vmbra. 36. de eodem Crucifixo, ad Neronem, *ibid.* de eiuſdem Martyrio, 37. de eiuſdem in alma Vrbe Templo, 204. Petrus, & Paulus Regi Attilæ minitantes, opus marmoreum, Romæ. *ibid.* de Theatro eidem erecto. 205. *vide etiam*, Cathedra ænea.
S. Petrus Nolaſco, Fundator Ord. B. Mariæ de Mercede. 85.
Petrus, ſenex in via mortuus, cum ad patriam pergeret. 116. 117.
Petrus Calceonus, mortuus in tonſtrina. 340.
Petrus Sinibaldus, Capuccinus, antea Cæſar. 266.
*Petrus de Valle, Patritius Romanus. 221.
Philetas, Elegiographus, corpore pertenuis. 199.
S. Philippus Nerius Fundator Congregat. Oratorij. 87.
*Philippus IV. Hiſpaniarum Rex. 188. 189.
Philomathus. *vide*, Muſæ Iuueniles.

*Pilatus, vt lapis. 110.
Pilea. 333.
Planta ſine fructibus, calami ductibus exhibita. 352.
Plantæ aſſiduè putatæ. *ibid.*
Podagra per aquam ſedata. 310.
Pœnæ Martyrum variæ. *vide*, Martyrologium Romanum.
Pœnæ Purgatorij, & Inferorum. *vide*, Animæ Purgatorij, *&c.*
Poeta. *vide*, Carmina.
S. Polycarpus Smyrnæ Epiſcopus. 48.
Potus ænigmate propoſitus. 366.
Prædeſtinatio. 100.
*Prædicator. 105. 106.
Prandium. 305. 306. 307.
Praxitelis Venus ſine pedibus. *vide*, Venus.
Prodromus Reginæ Artium. Liber. *vide*, Staniſlaus à Ieſu Maria.
Proſper Bottinius. 225.
Proſper Philippus, filius Philippi IV. Regis Hiſpaniarum. 186. 187.
Pſittace pulcherrimè expreſſa. 351.
Puella mortua in vtero ægrotantis Matris. 379.
S. Puer quinquennis, Martyr. 78. puer gemens, vix natus. 101. puer inflans in ignem, pictura Antiphili. 275.
Pugna Equitum cum Dracone, calami ductibus expreſſa. 351.
Pulchritudo vera, diuitiæ veræ, gaudia vera, vera quies, vbi. 129.
Pygmæus, penè lapſus in flumen. 358.
Pygmæi duo, alter fur, alter hiſtrio. 359.
Pyra, 353.

Qui

Q

QVi ſequitur me, non ambulat in tenebris. 15.
Quinctus amore inſanus, ex caſu voluntario ad priſtinam ſanitatem reuerſus, ſtultior oſtenditur euaſiſſe. 332.
Quintilius Medicus, mortuus menſe Quintili. 341.
S. Quirinus Epiſcopus Siſcienſis. 59. 60.

R

RAphael Sanctius, pictor. 276.
Raymundus Capiſucchus S.P.A.Magiſter. 231.
Religioſus, cum nihil habeat, poſſidet omnia. 104. quis bene ſuperior, quis bene ſubditus. 105. religioſus tutus, mundanus contrà. 122.
Remedium ridiculum Cinnæ mercatori. 343.
Remus à Romulo occiſus. 298.
Rheda fœno plena per Vrbem ducta. 115.
*Roma vetus. 202. Romæ Statua inermis cum Cruce. 203. cur placeat omnibus. *ibid.* Roma incenſa. 288.
S. Romanus Martyr. 47.
*S. Roſa Virgo, Peruana. 80.
Roſa, cur dicata Veneri. 132. Roſæ ad amicum miſſæ. 253.
S. Roſalia, cui in ſpeculo Crucifixus apparuit. 79.
Rus Florauantis Martinelli. 353.

S

S, ænigmate proponitur. 377.
Sabellus, aſſidui mœroris ſui cauſam quærens. 339.
Salomon hebræus, ſuper Monte Teſtaceo teleſcopio Meſſiam exquirens. 332.
Salutator, *in ea verba.* Seruitor, Padrone. 304.

Sa-

Sapiens bellatore fortior, & illuſtrior. 233.
S.Saturninus Epiſcopus. 73.
Saxonis, biboſi hominis epitaphium. 370.
Scaliger tibiæ vtricularis inflator. 373.
Scholarum Piarum inſtitutum. 123.124.
Scientia, à vera virtute ſeiuncta, inflat. 120.
Sebaſtianus Baldinus. *vide*, Carolus Sinibaldus.
Senecio, orator, omnia grandia affectans. 334.
Senex coniunctus amicitia cũ Morte.321.eſt nex ſibi.*ibid.*
Senex, puer,322.cur auarior.*ibid.vide,* Iuuenis.
Senſus corporis inepte per ſenes expreſſi. 356.
*Silentium. 140.141.
S.Simeon Ieſum amplectens, loquitur. 10.
S.Simeon Stylita. 82.
Simulacra Gentium, argentum, & aurum. 102.
*Sinon, Græcorum calidiſſimus. 301.302.303.
Siſamnes, iudex excoriatus. 289.290.
*Societas Ieſu. 235.236.251.
Sol ſpicis coronatus ſub Chriſti Natale. 3. Solis ortus in Chriſti Reſurrectione. 13.
S.Sophia Vidua. *vide*, SS.Fides, Spes, Charitas.
Spongia, per ænigma propoſita. 348.
St, ſola ex omnibus dictionibus,& ſyllabis,ſine vocali.378.
*S.Staniſlaus Epiſcopus. 55.
Staniſlaus à Ieſu Maria. 245.
*S.Stephanus Protomartyr.44.45. epitaphium eiuſdem.47.
Stigmata in corpore S.Franciſci.*vide*,S.Franciſcus Aſſiſias.
Stoliditas vera hominis. 113.
Summa Diana, *vide*, Antonius Coronus.
Suſanna caſta. 193.
Sylua Ilicetana. 213.

Ta-

T

Tabernæ duæ ſimul coniunctæ, quarum altera viuæ volucres, altera pilulæ, quibus enecantur. 115.
Tarquinius Iacobarius, mortuus, in ſcalas elapſus, *&c.* 217.218.
Teleſcopium, ænigmate propoſitum. 362.363.364.
*Templum S.Petri Apoſtoli, Romæ. 204.
Tempus quid ſit. 146. tempus pluuium ænigmate propoſitum. 366. Quid verè tempus terat. *ibid.*
Terrena, nihil. 127.& 367.
Teſtudo in caput Æſchyli, *vide*, Æſchyli Poetæ mors.
*Theatrum erectum Romæ, Principi Apoſtolorum. 205.
S.Theophilus, Martyr. 71.
S.Thomas de Villanoua, Archiepiſcopus. 75.
Tibullo Gratio quidpiam petenti pro iucundis narrationibus. 344.
Turcæ, ſuberbi. 209. audaces. 210. ſtulti. 211.

V

Vacuum dari, lepidè oſtenditur. 334.344.
*S.Venantius, Martyr. 58.
Venditor Ebrus de vendendarum rerum copia ſe efferens. 374.
Veneti. 41.208.209.210.
Venus marmorea, ſine pedibus. 132.297. ei cur roſa dicata, 132. *vide etiam*, Vulcanus.
Verecundia maximum ornamentum pueritiæ. 151.
*Veritas, quidnam. 111. veritas ænigmate propoſita. 294.
S.Vincentius, Martyr. 49.
*Virgilius Maro. 200. 201. *vide etiam pag.* 292.
Virgilius, pictor, Horatium picturus cum Ouidio. 314.
idem

idem Virgilio Vati, arte etiam, non ſolùm nomine, ſimilis. 315.
Virginitatis pulchritudo. 150. *vide etiam pag.* 151.
Virgo, oculiq; pupilla, benè græcè eadem voce dictæ. 150.
Virtutes à multis minimè cernuntur, ſed vitia. 133.
Vita breuis, quin breuiſſima. 115. vitæ breuitas. 144. vitæ exiguitas notata per varia horologia. 146. 147. velut flos hians. 139. vita, mors. 148. 156. *vide*, Homo.
Vltimus pro primo cui vocabulo aptiùs adiungatur. 322.
Vocabula multa priſca, cur nunc obſoleta. 375.
*Voluptas terræ. vt Auſter. 130. vt roſa. *ibid.* habet ſpinas. 132. toxica, ſpicula. 149. *vide*, Gaudia.
Vrbanus VIII. P. M. 169.
Vrget præſentia Turni, lepidè inuerſum. 305.
*SS. Vrſula, & Sociæ. 52. 53.
Vua. 370.
*Vvaldenſes, hæretici. 330.
Vulcanus, bene claudus fingitur. 132.
Vultus deformes pulchrè depicti. 357.
Vxor Lothi cur verſa in ſal. 95. quiſnam ei ſimilis. *ibid.*

Z

Zoilo, ſimulatè dolenti, *&c.* aptiſſimum Auctoris dictum. 387.

[library stamp]

FINIS.

Digitized by Google

[illegible] Google